

FRANCISCI PETRARCÆ

EPISTOLÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

ET

VARIÆ.

[redacted]

[redacted]

FRANCISCI PETRARCÆ

EPISTOLÆ
DE REBUS FAMILIARIBUS
ET
VARIÆ

TUM QUÆ ADHUC TUM QUÆ NONDUM EDITÆ

FAMILIARIUM SCILICET LIBRI XXIIII. VARIARUM LIBER UNICUS

NUNC PRIMUM INTEGRI ET AD FIDEM CODICUM OPTIMORUM VULGATI

STUDIO ET CURA

IOSEPHI FRACASSETTI.

VOLUMEN PRIMUM.

FLORENTIÆ,

TYPIS FELICIS LE MONNIER.

MDCCCLIX.

[redacted]

[redacted]

PROLEGOMENON.

Quum Franciscus Petrarca,[1] doctrina et auctoritate ætatis suæ vir facile princeps, quotquot vel litterarum cultu, vel armorum gloria, vel dignitatis et regiæ maiestatis splendore

[1] Quamvis in plerisque Codicibus veteribusque editionibus pene omnibus nomen auctoris nostri littera H duabus ultimis interposita scriptum inveniatur, eaque non solum in recto sed et in obliquis eius nominis casibus constanter appareat, nos tamen litteram illam expungendam duximus, ea potissimum ratione ducti, quod in epitaphio ab ipsomet sibi composito et ad eius monumentum Arquadæ adhuc prostante, non solum *Petrarcæ* in primo versu inscriptum legatur, sed quod ceu verba illi assonantia in duobus qui sequuntur *parce* et *arce* adhibita fuerint:

FRIGIDA FRANCISCI LAPIS HIC TEGIT OSSA PETRARCÆ:
SUSCIPE VIRGO PARENS ANIMAM, SATE VIRGINE PARCE,
FESSAQUE IAM TERRIS CŒLI REQUIESCAT IN ARCE.

Ex quo patet Franciscum se non *Petrarchæ*, sed *Petrarcæ* nomine vocari voluisse; quidquid in contrarium plerique senserint, et præsertim Fortunius Licetus in epistola ad Iac. Phil. Tomasinum edita post *Petrarcham redivivum Patavii, 1604, pag. 249.* Et sane, si qua proferatur autographa Francisci scriptura, quæ nomen eius adiecta aspiratione exhibeat, fasces me libenter submissurum profiteor. Non ideo tamen victus abeam quod in codicibus et veteribus editionibus testamentum ipsius ea subscriptione claudatur. *Ego Franciscus Petrarcha scripsi.* Etenim si Fortunio Liceto non fuit *verisimile credibileve testamentum a Petrarcha manu propria conscriptum inter eius opera non religiosissime transcriptum fuisse cum eadem prorsus ortographia potissimum proprii cognominis*, multo mihi magis a veritate absonum videtur Franciscum posteris de se supremum et marmori ad perpetuam sui memoriam inscribendum testimonium ferentem, ut metri consonantiæ indulgeret, quam facili poterat ratione mutare, ingenuam nominis sui ortographiam corrumpere voluisse. Cæterum nec testamenti autographon aliquis adhuc vidit, nec mirum cuique esse potest quod a librariis et typographis *vetustioris ætatis* latino sermone scribentibus aspiratione adjecta fuerit poetæ nomen usurpatum, quum *vernacula* etiam *lingua* nostra exarati *sequioris temporis* codices et libri illud eadem ratione scriptum exhibeant, quin tamen eorum auctoritate ductus quispiam inveniatur qui *il Petrarcha* pro *il Petrarca* in italica oratione nunc scribere velit.

sæculo XIV maxime floruerunt non solum probe noverit, sed et singulari sibi habuerit familiaritate devinctos, cumque et natura ad animi sui sensus aperiendos pronior esset, et Marci Tullii Ciceronis itemque Lucii Annæi Senecæ exempla sectanda sibi proposuisset, multus quidem fuit in epistolis conscribendis, quarum stilum ad veterum elegantiam et simplicitatem primus ipse post latini sermonis corruptionem revocare pro viribus contendit. Hinc factum est ut, eo adhuc vivente, tantum epistolarum eius desiderium inter homines invaluerit, ut iis omni ex parte exquirendis et colligendis doctissimi eius ætatis viri operam impenderent: quod cum nec ipsum Franciscum lateret, librarios domi habuit, qui epistolas suas asservandas describerent. Ea porro fuit in Francisco casuum varietas, rerum magnitudo, amicitiarum et consuetudinum copia, ea peregrinationum itinerumque frequentia, ea tandem vitæ actæ longævitas, ut epistolarum eius numerus prope infinitus evaserit, adeo ut de scriptis suis ordinandis aliquando cogitans, seque *circumventum litterarum cumulis et informi papyro obsitum* videns *primo quidem cœperit impetu cuncta flammis exurere*, dein mutato consilio plurima *non sine suspirio Vulcano corrigenda tradiderit; pauca, quæ tamen lectori multa, sibi longe nimia viderentur*, *vivere passus fuerit. (Fam. Præf.)* Hæc, ut videtur, anno ætatis suæ LV ipse Socrati nunciabat. Senio deinde confectus iamque morti proximus Francisco Senensi medico se nunquam a scribendo destitisse fatebatur, *et quadringentas eoque amplius epistolas magna ex parte non exiguas diversis temporibus ad diversos duobus sat magnis voluminibus se* compegisse, *mille aliis reiectis*, *nullam aliam ob causam quam quod eas locus ille non caperet. (Sen. Lib. XVI, 2.)* Quod igitur ad has, quas servandas ipse duxit, epistolas attinet, poeticas ab iis quas soluta oratione dictaverat primum seiunxit, easque Barbato Sulmonensi familiari suo inscripsit: alteras vero in diversas classes diversoque nomine distinctas ita distribuit, ut litteras omnes eo usque conscriptas in volumen unicum contraxerit, illudque « *De rebus familiaribus* » vocari voluerit: quas exinde scripturus esset, scripsitque revera (vixit enim

quindecim alios annos integer integros, nec a scribendo usque ad supremum vitæ diem unquam destitit) aliud in volumen *Senilium* nomine amandandas constituerit. Quum tamen liber de rebus familiaribus iam satis superque crevisset, nec *iusti voluminis metam* ipse *trascendere* vellet, *alia quædam eiusdem generis scripta quæ supererant illo avulsa extra ordinem alio quodam volumine* digessit. *(Fam. lib. XXIV, litt. 13.)* Nonnullas tandem quas de reipublicæ rebus, et præsertim de Curiæ Avenionensis moribus, nimia prorsus, nec sibi metipsi probata libertate dictaverat, quum sibi qui scripserat iisque ad quos missæ fuerant haud leve periculum, si in vulgus ederentur, allaturas esse cognosceret, nulli describendas sibique tantum stricte custodiendas ne ad aliorum manus pervenirent penes se ipse servavit, easque dixit litteras *Sine titulo*. Quadrifariam igitur epistolæ omnes a Francisco conscriptæ dividi debent, quæ scilicet sunt: 1° *De rebus familiaribus*: 2° *Seniles*: 3° *Variæ*: 4° *Sine titulo*.

Iam vero si auctore adhuc vivo, uti supra innuimus, plures epistolis eius colligendis operam dederant, in promptu cuiquam esse debet post mortem eius curiosius in id homines incubuisse.[1] Extant reapse Codices quamplurimi (de quibus infra enucleatius dicendum erit) in quibus unius vel alterius speciei epistolæ sæculis XIV et XV descriptæ inveniuntur. Et quamvis non omnes uno eodemque loco asserventur, omnes tamen quæ *De rebus familiaribus* inscriptæ sunt, tribus in Codicibus integræ prostant; eædemque sparsæ hac illac diversis in locis reperiri, et facili negotio in unum integrumque corpus poterant restitui. Mirum proinde est quod in tanta eaque iustissima Francisci Petrarcæ existimatione, qui operibus eius edendis pluries animum applicuere, nunquam de illis omnibus colligendis curam susceperint. Factum imo est ut *Seniles*, itemque

[1] Vide sis relatas a Meneghellio (*Opere, Padova 1831, Vol. 6, pag. 198.*) litteras a Gregorio XI P. M. datas Avenione 3 Idus Augusti an. IV pontificatus eius, quibus Guillelmo S. Angeli diac. Cardinali Vicario suo in Italia mandat ut scripta Petrarcæ nuper vita functi et nominatim epistolas eius diligenter exquirat eorumque apographos codices sibi describi curet.

[redacted]

quas *Sine titulo* reliquit et complures aliæ *Variarum* nomine plus vice simplici in vulgus prodierint: earum vero, quæ *De rebus familiaribus* sunt, maxima pars inter ineditas scripturas in Bibliothecis adhuc abdita delitescat. Sed de hac editarum ineditarumque distinctione operæ pretium est accuratius agere. Utque ex ordine res universa explicetur, id primum statuendum nobis erit, quot in singula volumina epistolarum libros auctor ipse coacervaverit: quot deinde ex iis prodierint typis in vulgus editi: tandem qui sint, ubique asserventur codices celebriores ex quibus adhuc ineditæ a nobis fuerint depromptæ.[1]

Quumque nobis sit de iis enucleatius agendum quæ *De rebus familiaribus* inscribuntur, breviter, inversoque ordine superiori, de tribus aliis epistolarum speciebus sat erit innuere: *Senilium* non amplius septemdecim libros rei litterariæ historicis innotuisse, eosque integros pluries iamdiu typis fuisse vulgatos: *Variarum* nomine modo numero plures, modo pauciores editas fuisse: earum tamen nonnullas perperam inter *Varias* recenseri, quum in Codicibus inter eas inveniantur quæ sunt *De rebus familiaribus;* ideoque suo sint loco restituendæ. Extant tamen et manent adhuc ineditæ plures epistolæ, quarum aliæ habita ratione temporis quo scriptæ fuere inter *Seniles* locum merito obtinerent, aliæ eodem respectu inter *Familiares* essent recensendæ. Quum vero inter has locari nequeant invito auctore, qui locum inter eas vacuum nullum reliquit,

[1] Francisci Petrarcæ litteræ, quotquot ab eo vere dictatas eruditi viri agnoverunt, omnes latino sermone sunt exaratæ. Si quas vulgari lingua ipse composuit, earum non solum autographa quælibet, sed et apographa fide digna nobis invidit ætas. Sic nemo non apocrypham duxit litterulam illam quæ cuidam Leonardo Beccamuccio inscripta legitur in fine Operum edit. Basileæ anno 1554, cuius si stilum consideres, eam dubio procul longe post sæculum XIV scriptam iudicabis. Duas alias ætate hac nostra protulit in medium Ugo Foscolus; utramque tamen supposititiam et falsam Antonius Meneghellius demonstravit, cuius ineluctabilibus argumentis cum rationibus nequiret, conviciis obstitit Foscolus, quin tamen evinceret litteras illas non vulgari modo sed rudi et incorrecto sermone compositas a Petrarca missas fuisse Episcopo Lomberiensi vel Avenionem anno 1338, quo certo certius Præsul ille Romæ manebat, vel Romam anno 1341, unde ille iamdiu discesserat reversurus in Vasconiam. (*Meneghelli, Opere. Padova, 1831, Vol. 6, pag. 169.*)

nec inter illas quæ septemdecim libris comprehensæ in anteactis editionibus nullum qui suppleri debeat integritatis defectum patiuntur, satius nobis visum est has *Variarum* numero augendo accensere. Ad litteras tandem quod attinet *Sine titulo*, fateor videri mihi auctoris famæ male consuluisse qui abditas ab eo et cuipiam negatas in vulgus proferre non dubitarunt. Iamque vix una vel altera, imo ut rectius loquar, vix unius alteriusve pars aliqua adhuc inedita manet; quam nemo, ut auguror, in lucem edendam, citra ullam vel Auctoris laudem vel lectoris utilitatem, imo in utriusque vel famæ vel morum detrimentum, censere queat. Quod ad me attinet, id nec catholico nec cordato viro dignum putans, omnem de illarum litterarum editione curanda, vel integritate restituenda cogitationem reieci. Hanc itaque mihi Spartam unam suscipiendam duxi, ut relictis in tenebris, si quæ adhuc sunt, litteris *Sine titulo*, earumve fragmentis, sepositisque *Senilibus* quarum iam pluries perfecta editio est, cæteræ omnes Francisci Petrarcæ epistolæ, vel *De rebus familiaribus*, vel *Variarum* nomine designandæ, tum quæ in antiquis editionibus extant, tum quæ per diversas Europæ Bibliothecas dispersæ adhuc ineditæ manent, tandem in lucem me primitus edente prodirent.

Nec ambigendum cuique erat de numero librorum quibus volumen *De rebus familiaribus* ab ipso Auctore compositum ab initio constiterit. Vix enim e vivis elato Francisco Petrarca, de vita et operibus eius commentarium edidit Sicco Polentonus, quumque de eius litteris verba fecerit, « *Prosaicarum*, inquit, *libri habentur qui* Rerum familiarium *appellantur XXIV, inde qui* Rerum senilium *inscribuntur XVII.* » Et paulo infra « *unum epistolarum volumen* Rerum familiarium *inscriptum est, et libros quatuor et viginti habet.* »[1] Ea porro Francisci fama apud homines invaluerat, ut, quemadmodum supra innuimus, illo adhuc vivente eoque magis absumpto, de operibus eius colligendis fuerit a multis cogitatum: nec mirum propterea, quod ab inventione artis typographicæ parum temporis effluxerit quin

[1] Laur. Mehusius in vita Ambrosii Camaldulensis, pag. CCXL, idemque in vita Lapi de Castiglionchio, pag. XI.

de iis in vulgus edendis litterati eius temporis homines se sollicitos præbuerint. Plurimæ quidem operum eius editiones hucusque prodierunt: et si de iis instituendus mihi sermo esset quibus lyrica eius carmina vernaculo idiomate composita vulgata fuerunt, citra omnem exaggerationis notam dicere possem, nullius ex antiquioribus recentioribusve poetis scripta toties typis impressa fuisse. Quod facile sibi persuaserit quicumque sciat post primam a Vindelino Spira anno 1470 Venetiis peractam, alias triginta quatuor eodem sæculo XV, sequenti XVI centum sexaginta septem, dein XVII alias septemdecim, sex inde supra quadraginta sæculo XVIII, quinquaginta demum et amplius hoc quo vivimus XIX editiones italicorum carminum *(il Canzoniere)* recenseri. Quarum si loca et tempora novisse placeat, videre erit in iis quæ Bibliothecæ Petrarchianæ nuncupantur, et in illa præsertim quam Florentiæ anno 1822 Italicis Francisci carminibus adiunxit Aloisius Ciardettus.[1] Porro ab instituto meo alienum est omnes omnium operum eius editiones recensere, quarum qui cupiat plenam sibi notitiam quærere, adeat bibliographicos catalogos, illumque in primis a Dominico Rossetto iuris consulto Tergestino elucubratum.[2] Is quidem, nescio quo singulari in Franciscum Petrarcam, itemque in Pium Secundum Pontificem Maximum amore captus et obsequio, quotquot vel utriusque opera typis vulgata, vel aliorum de illis elucubrationes, commentaria, ellogia, historicas criticasve disquisitiones, imagines denique, numismata aliaque huiusmodi undique diligenter et operose exquisita colligere potuit, nec sumptibus nec laboribus parcens sibi comparavit, et rerum omnium sibi quæsitarum accuratissimum indicem semel iterumque in vulgus edidit, ea præcipue motus ratione, quod si quis eius generis aliquid penes se vel alicubi extare cognosceret, paratam sibi sciret eius collocandæ occasionem in illius

[1] *Le rime del Petrarca* con tav. in rame, ed illustrazioni, Tomo IV. Biblioteca Petrarchesca, Firenze, Tipografia di Luigi Ciardetti, 1822.

[2] *Catalogo* della raccolta che per la Bibliografia del Petrarca e di Pio II, è già posseduta e si va continuando dall'Avvocato De Rossetti di Trieste. — Trieste, Marenighi, 1834, pag. 96, in-4. — *Continuazione del Catalogo*, pag. 6, in-4.

bibliotheca, quam moriens ipse Municipio Tergestino annua cum dote liberaliter legavit. Quum porro multa, eaque varia Franciscus Petrarca ingenii sui monumenta reliquerit, e quibus omnibus epistolæ tantum soluta oratione conscriptæ, imo earum pars una nostri constituant laboris materiam, eas tantum editiones hoc loci recensendas putamus, quæ vel epistolas seiunctim ab aliis operibus exhibent, vel eas aliis, omnibusve coniunctas complectuntur. En igitur quæ eiusmodi hucusque peractæ editiones nobis innotuere.

I. 1484. (Sine loco.) Fr. Petrarchæ Epistolæ. *Hanc citat Baldellius* [1] *fidem sequutus Maittairii.* [2]

II. 1492. Fr. Petrarchæ Epistolæ Familiares. Libri VIII. *Charta 117 tergo hæc habet:—Impresso in urbe Venetiarum operi per Johannem et Gregorium De Gregoriis fratres felix imponitur finis. Castigatum est autem qua fieri potuit diligentia a Sebastiano Manilio Romano cive viro haud illitterato humanæ restaurationis anno* MCCCCLXXXXII. *Idibus septembris Augustino Barbadico Serenissimo Venetiarum principe Rempublicam tenente.*

Vol. 1, in-4 constat chart. 117 præter litteram dedicatoriam, indicem, et chart. ultimam monogramma fratrum De Gregoriis (Z G) exhibentem.

Rossetti Catal. n° 53. Rarissimum hoc volumen sub oculis habui mihi humanissime commodatum a fratribus De Minicis.

III. 1494. Fr. Petrarchæ Opera omnia, Daventriæ. *Editionem hanc, primam quæ opera omnia Fr. Petrarcæ complectatur, citat Rossettus in Præfatione operum poeticorum minorum Fr. Petrarcæ quæ ipse edidit, et illustrium Italicorum poetarum versione donata vulgavit.* [3] *Haud tamen illam se uspiam vidisse profert diligentissimus hic investigator, fidemque Maittairii qui sup. et ipse sequutus in hoc videtur.*

[1] *Del Petrarca e delle sue opere*, Libri 4 del cav. Gio. Battista Baldelli, Firenze, 1837.

[2] Maittaire Mich. — *Annales typographici* ab artis inventæ origine ad ann. 1557 cum appendice ad ann. 1664. Hagæ Comitum et Amstelodami.

[3] *Poesie minori del Petrarca* sul testo latino ora corretto, volgarizzate da poeti viventi e da poco defunti. Milano, Tomi 3. Tip. de'Class. 1829-1831.

IV. 1495. Librorum Fr. Petrarchæ impressorum annotatio. Basileæ per Mag. Johannem De Amerbach. Fol. vol. 1.
Hanc Baldellius loc. cit. asserit se vidisse in Bibliotheca Tramontana.

V. 1496. Eadem quæ supra nº IV.
Cat. Rossetti, nº 60.

VI. 1497. Eadem quæ sup. n. IV et V.
Hanc citat Lazzerus in Miscell. ex Mss. lib. Coll. Rom. Soc. Jesu. Romæ per Paglierinum 1754, T. 2.

VII. 1501. Librorum Fr. Petrarchæ annotatio. Venetiis per Simonem De Luere impensa Domini Andreæ Torresani de Asula. Fol. vol. 1.
Rossetti Catal. nº 64. Huius editionis Baldellus loc. cit. duo citat exemplaria alterum diem præferens 22 martii, alterum diem 17 junii eiusdem anni 1501.

VIII. 1503. Librorum Fr. Petrarchæ impressorum annotatio. Venetiis per Simonem Papiensem dictum Bivilaquam die 15 Iulii.
Rossetti Catal. nº 68: Baldellus loc. cit. Huic editioni plerumque adsuitur BUCOLICUM CARMEN CUM COMMENTO BENVENUTI IMOLENSIS PER MARCUM HORIGONO DE VENETIIS MCCCCXVI DIE VI JULII, *ubi evidenter patet legendum esse* MDXVI. *Plura forsan editionis a Simone peractæ exemplaria in manus Horigonii pervenere, qui quum diversa characterum forma Bucolicum carmen impressisset, hoc illis adiunxit, operum indice iisdem characteribus addito in fronte voluminis.*

IX. 1541. Fr. Petrarchæ Opera omnia. Basileæ sine nomine typogr. in-8, vol. 1.
Rossetti Catal. nº 141.

X. 1554. Fr. Petrarchæ Opera omnia. Basileæ per Henricum Petri in fol. vol. 2.
Rossetti Catal. nº 210.

XI. 1558. Fr. Petrarca. Bucolica, Africa, et Epistolæ. Basileæ sine typogr. nomine, 8º, vol. 1.
Rossetti Cat. nº 224.

XII. 1581. Fr. Petrarchæ Opera omnia. Basileæ per Sebastianum Henricpetrum.
Rossetti Cat. nº 290.

XIII. 1601. Fr. Petrarchæ Epistolarum libri XVII, ex Cod. J. Chalasii 8º, vol. 1, per Petrum Roverianum (sine loco).
Rossetti Cat. 340.

XIV. 1601. Fr. Petrarchæ (*ut supra*). Lugduni per Samuelem Crispinum.

Rossetti Cat. 339.

XV. 1601. Fr. Petrarchæ Epistolarum omnium. Coloniæ Allobrogum ap. Samuelem Crispinum. (*Lazzeri ubi sup.*)

XVI. 1601. Fr. Petrarchæ Opera omnia. Lugduni ap. Samuelem Crispinum.

Lazzeri ut sup. fidem sequutus Pope.

Quatuor has quas ultimo loco recensui editiones, diversa quamvis sub fronte, ad unam tantum reduci suspicor. Lugdunensis enim (XIV) qua usus ego sum, singulas litteras iisdem habet paginarum numeris distinctas quibus Tiraboschius et Mehusius litteras easdem referunt in editionibus Genevensi et Petri Roveriani. Vero igitur simile puto unam eamdemque editionem Lugduni, Genevæ et Coloniæ Allobrogum, itemque et Samuelis Crispini et Petri Roveriani nomina præ se ferre: et falsa opinione deceptos Pope et Lazzarum omnia Petrarcæ opera vel epistolas omnes comprehensa dixisse in editione Lugdunensi anni 1601, quæ libros tantum XVII Epistolarum, scilicet Familiarium XIV; Varias, Sine titulo, et Ad Viros illustres complectitur. [1]

Iam vero quum viginti quatuor ut diximus in libros epistolas *De rebus familiaribus* Franciscus ipse diribuisset, haud facile quispiam divinare poterit cur factum sit, ut in omnibus supra recensitis sæculorum XV et XVI editionibus octo tantum primi ex iis fuerint vulgati, dum e XVII libris quibus *Seniles* constant nullus in iis desideretur. Si quid in huiusce rei obscuritate mihi coniicere liceat, dicam profecto quod sentio. Omnibus ego Epistolarum Francisci Petrarcæ editionibus temporis prærogativa præstare illam censeo quam supra n° II distinctam adnotavi, eam scilicet quam anno 1492 fratres De Gregoriis Venetiis in lucem protulere. Præterquam quod enim præcedentem editionem anni 1484 a Baldellio citatam nemo nostrum hucusque,

[1] Libros in quibus vel anteactis temporibus vel nostra hac ætate vix una vel altera Francisci littera vulgata fuerit haud visum mihi est in hac editionum serie recensere.

nec ipsemet Baldellius, oculis potuit fidelibus subiicere, multa me movent ut de eius existentia magnopere dubitem. Scilicet altera illa epistolarum editio, quam tempore principem me putare dixi, cura et diligentia peracta est cuiusdam Sebastiani Manilii Romani civis, qui librum dicans *Dominico Bolano Venelo Patritio, equiti aureato, philosophiæ doctori, ac Communi Venetorum advocato* cuius erat familiaris, se ex eius bibliotheca Francisci Petrarcæ octo epistolarum de rebus familiaribus libros nuper accepisse profitetur « ultimum quidem » ut opinabatur (eratque reapse) « mancum, reliquos barbarico calamo adeo » proximos ut nonnisi elegans divinator elementorum structu- » ram internosse potuisset. Tua » (præstat enim Manilii verba Bolanum alloquentis fideliter referre) « tamen adhortatione, quæ » nihil mihi est potius, ut imprimerentur, curavimus, cum per- » facilis quidem ea nobis inesset facultas: in quibus laboris non » parum, utinam non infamiæ, reperiisse me fateor. Nam ut erant » Gallica manu exarati sine auctoris titulo legebantur, et epistolæ » ipsæ vel paucæ vel nullæ cui mitterentur assignabantur. Ve- » rum ut ingenii facultas et rerum coniectura in tanta obscu- » ritate dictabat, omni adhibito studio aliqua ex parte vel emen- » davimus vel fortasse in peiorem statum redegimus........... at » ne ignores quid de meo apposuerim quidve resecandum » duxerim.... benignas.... aures præstabis. Aptavimus in primis » et librorum et epistolarum titulos nullo quadrantes *(sic)* or- » dine, quarum hæc fere omnium erat formula: *ad Socratem* » *suum*, *ad Barbatum* et cœtera id genus. Nos vero Ciceronem » cœterosque doctissimos viros imitati, eo quem epistolæ lex » exposcebat ritu, titulos exposuimus, ut intueri fas est. Eas » autem quæ sine illius ad quem mittebantur nomine legeban- » tur, harum duarum litterarum T. M. indice munivimus.... » Multa tandem passim in toto opere mendose apposita veræ » lectioni restituimus. Ea vero quæ barbariem quamdam refe- » rebant, et quæ nec epistolæ ratio nec romana eloquentia » admittebat, penitus resecavimus: ut erat *ambasciatoribus* » Iliensium Tiberii principis responsio, pro *legatis* Ilien- » sium etc. »

[redacted]

Age vero. Si iam inde ab octo annis Francisci epistolæ in lucem prodiissent, poterat ne Manilius de illis loqui uti primitus et nuper a se repertis in bibliotheca Bolani? Fuerit quidem longe ab urbe Venetiis, fuerit in extremis Italiæ vel Germaniæ oris peracta editio anni 1484, cuius latet locus; quis credat octo annorum spatio nullam de ea notitiam Venetias, *portum*, ut alicubi Franciscus noster ait, tunc temporis *totius humani generis*, appulisse, adeo ut sibi gloriam primi editoris Manilius vindicaret epistolarum, quæ iam vulgatæ per manus litteratorum hominum ferebantur? Validius tamen opinionis meæ fundamentum in eo statuendum videtur, quod se Manilius fecisse narrat in litteris, quas in Codice Bolaniano absque ulla designatione personarum quibus inscriptæ fuerant invenerat. Eas quippe duarum litterarum T. M. indice distinctas edidisse se refert, cuius quidem rei quum nullam ipse rationem adducat, quid reapse litteris illis singularibus significaverit prorsus ignoramus: coniectare tamen libet eum forsan iuris consultos imitatum, qui servos peregrinos filiosque familias capite *minui* dixerunt, litteras hasce *Titulo* quasi capite *Minutas* ab aliis secernere voluisse. Iam vero si qua extitisset ante ann. 1492 altera epistolarum editio, quum ad alterius codicis fidem fieri debuisset, litteras quas Manilius signo T. M. adnotavit, vel nomine illorum quibus inscriptæ erant, vel alia omnino nota quæ nominis illius defectum ostenderet distinctas exhibuisset. Atqui Veneta editio quæ undecim post annis primam illam est subsequuta (eas quippe in intervallo peractas consulere non potuimus), non alio signo quam earumdem litterarum T. M. epistolas illas adnotavit; quæ vero deinde Basileæ et Lugduni prodierunt falsa prorsus eius notæ interpretatione, *Thomæ Messanensi* inscripserunt, ad quem eas missas fuisse et temporum ratio et rerum quæ in iis leguntur natura credere vetant, prout enucleatius ostendemus in animadversionibus quibus litteras illas italice versas declarabimus. Id denique notatum velim, Manilium, in ea de qua dixi littera ad Bolanum, professum fuisse nonnulla quæ quamdam barbariem referebant ex Petrarcæ epistolis se resecasse; eiusque rei exemplum de-

disse *ambasciatores* Iliensium in *legatos* Iliensium a se commutatos. Locus est in litt. 12 lib. IV *(Urget dolor)* nullaque ex omnibus quas novimus Epistolarum editionibus barbaricam illam vocem habet. Ex quibus omnibus, ut mihi videtur, plus quam probabilis ratio assurgit concludendi primam omnium quæ noscantur epistolarum editionem eam esse quam ex Codice Dominici Bolani Venetiis protulit Sebastianus Manilius: eamque sequutos esse qui rursus Venetiis et deinde Basileæ et Lugduni Francisci Petrarcæ epistolas iterum edidere.

Quæ quum ita sint, in promptu ratio est cur octo tantum libri *De rebus familiaribus* semper editi fuerint: quia scilicet primam illam editionem omnes sequuti, satis suo muneri fecisse visi sunt, quin de aliorum librorum inquisitione diligentius curarent. Quam veterum editorum ignaviam id fortassis excusat quod duo alii in Italia extabant, extant et hodie codices, vivente adhuc Petrarca vel vix eo e vivis sublato exarati, qui octo tantum libros ordine primos de rebus familiaribus continent; quumque nihil in iis reperiatur ex quo sexdecim aliorum defectus argui queat, haud editoribus illis succensendum est quod de opere in integrum restituendo non cogitaverint.

Accidit tamen ut nonnullæ ex epistolis quæ inter *Familiares* locum habere debuissent suis avulsæ locis ad manus veterum editorum pervenerint, qui illas inter *Varias* quo libuit ordine collocarunt. At sæculo ineunte XVII Samuel Crispinus typographus Lugdunensis codicem rarissimum invenit penes Io. Chalasium iurisconsultum asservatum, in quo Fr. Petrarcæ epistolæ plus minus septuaginta reperiebantur ad illam diem adhuc ineditæ, quarum ille statim editionem perficiendam curavit, cuius supra meminimus (nº XIV). Erat forte ille codex integri alterius fragmentum, cumque nollet typographus, si ad verum librorum numerum novas illas litteras referret, defectum priorum et sequiorum in propatulo ponere, illas non interrupto ordine post octavum librum, qui in anteactis editionibus erat postremus, continua serie prelo mandavit. Quapropter suis in libris IX, X et XI is litteras dedit quæ a Fr. Petrarca in li-

bris XVIII, XIX et XX locum obtinuerant: in XII, litteras libri XIII, tribus tamen expunctis, edidit: e libro XXIII, qui unam supra viginti continet, octo ille tantum litteras exhibuit, et libro adscripsit XIII; tandem XXIV libri unam dumtaxat in suo libro XIV, aliasque decem sub singulari titulo litterarum *Ad viros illustres* in lucem protulit: quarum pleræque et in aliis editionibus eodem sub titulo reperiebantur. Desunt vero omnino in hac Crispini editione tres supra centum epistolæ quæ libris IX et sequentibus usque ad XVIII comprehenduntur: desunt item aliæ triginta in quatuor postremis libris: desiderantur tandem, licet in anterioribus editionibus prostent, in libro IV sex litteræ *De Laurea*, et in V illa quæ ad Clementem V Pont. Max. missa medicorum inimicitias auctori nostro quæsivit: adeo ut editio hæc omnibus locupletior eademque rarissima, careat adhuc 140 litteris *De rebus familiaribus* aliisque plus minus quadraginta quæ inter *Varias* reponendæ hucusque in tenebris bibliothecarum delituere.

Operæ nunc pretium est fontes indicare, e quibus omne hauriri possit quod ad Fr. Petrarcæ opus epistolare restituendum in integrum desideratur: sive, ut clarius loquar, iam de Codicibus dicendum est e quibus omnes quæ adhuc iacent ineditæ eius epistolæ erui queant. Primos ordine ponam tres maximi pretii Codices qui integrum *De rebus familiaribus* opus in XXIV libros dispertitum continent: suntque:

(A). I. Cod. membranac. anni 1388. Colbertini nomine notus in Biblioth. Imper. Parisiensi num. VIIIMDLXVIII.

(B). II. Cod. membran. papyrac. e præcedenti descriptus Sæc. XV in ead. Biblioth. Imp. Parisien. num. VIIIMDLXIX.

(C). III. Cod. membranac. papyrac. quem Cardinalis Passioneius legavit Biblioth. Angelicæ Fratr. Augustinianor. urbis Romæ ubi asservatur (V. 1, 7), ad cuius calcem legitur: *Francisci Petrarchæ laureati rerum familiarium, liber XXIV explicitus feliciter anno 1404 die XXII Februarii.*

Tribus hisce subiicimus tres alios Codices quorum unusquisque continet tredecim posteriores libros *De rebus*

familiaribus: adeout horum numeri ordinales I^{ae}, II^{ae}, III^{ae} etc. respondeant numeris XII°, XIII°. XIV° etc. trium superiorum Codicum.

(D). Codex n^{o} VIIIMDLXX. Bibliothecæ Imp. Parisiensis.

(E). Florentiæ. Cod. IV, Plut. LIII. Bibliothecæ Florentinæ Laurentianæ qui ex sequenti Codice (F) desumptus ita a Bandinio describitur: *Supra quam dici possit ornatissimus et nitidissimus cum pictura in prima pagina ubi tituli exhibentur etc.... et alia in secunda ubi epistolæ Petrarchæ incipiunt, cuius ferme totus margo depictus est cum stemmate Mediceo et cum initialibus librorum aureis et coloratis.*

(F). Cod. X. Plut. XXVI. Sinistr. in eadem Bibliotheca Laurentiana. Ad calcem eius legitur: *Iste liber fuit ad usum fratris Thedaldi De Casa quem vivens assignavit armario Fratrum minorum Florentini conventus 1406.* Huic vero Thedaldo fratri Franciscali Johannis Boccaccii familiarissimo et Francisci Petrarcæ adeo studioso ut Paduam se contulerit eius operibus describendis, codicem hunc dono dederat Lapus seu Iacobus De Castiglionchio, cuius et nomen in eo adscriptum, et breves adnotationes autographæ in marginibus extant, ex quibus evincitur anno adhuc 1379 eo Lapum usum fuisse. *(Vide Mehusium in vita Lapi).*

En tandem codices alios quorum ad me fama pervenit (longe enim est ut quotquot ubique extant me novisse confidam) qui vel integros quisque libros vel litteras aliquas modo numero plures modo pauciores continent, plerumque tamen potius ad Seniles et Varias quam ad Familiares referendas. Sunt itaque qui sequuntur.

(G). Maximi quidem pretii eadem in Bibliotheca Laurentiana servatur Cod. XXXV, Plut. LIII ipsius Petrarcæ manu integre conscriptus, quique iam fuit Ludovici Beccadelli Archiep. Ragusini. Constat ex litteris omnibus autographis et in unum volumen redactis, quæ papyri plicaturas, subscriptiones, inscriptos titulos, sigilla denique integra proferunt.

(H). Ibidem Cod VIII. Plut. XXIX.

(I). Ibidem Cod. III. Plut. LXXVIII. Continet omnes Seniles.

(L). Ibidem Cod. XVIII. Plut. XXXVIII.

(M.) Ibidem Cod. V. Plut. LXXVIII.

(N). Ibidem Cod. XI. Plut. LXXVIII.
(O). Ibidem Cod. XVI. Plut. LXXXVIII. Inf.
(P). Ibidem Cod. LXXIII. Plut. LXXXIX. Sup.
(Q). Ibidem Cod. XIII. Plut. XC.
(R). Ibidem Cod. XIV. Plut. XC. Inf.
(S). Ibidem Cod. XVII. Plut. XC.
(T). Ibidem Cod. XLIII.
(U). Ibidem Cod. XCII. } Biblioth. Leopold. Strozzianæ.
(V). Ibidem Cod. CV.
(X). Ibidem Cod. CI. Biblioth. Leopold. Gaddianæ.
(Y). Ibidem Cod. CLXXVIII. Biblioth. Operarior Eccl. Metropolit. Florentinæ.
(Z). Ibidem Codex Marcianus quem a Nicolao Nicolio Padua Florentiam advectum Mehusius autographum Petrarcæ existimavit, quod tamen negant Baldellius, Sartius aliique. Hic e Bibliotheca Marciana ubi N° 336 erat distinctus in Magliabechianam translatus ibi asservatur Plut. I. 1, 28.
(a). Ibidem Cod. n° 873. Biblioth. Riccardianæ qui iamdiu fuit Nicodemi Tranchedini.
(b). Ibidem Cod. n° 805 eiusdem Biblioth. Riccardianæ.

Quorum Florentinorum Codicum quid singuli contineant ideo reticendum hic duxi quod diligentissime iam id exposuit Bandinius in suo Catalogo Codicum Latinorum Biblioth. Laurentianæ.

(c). Romæ in Biblioth. Collegii Soc. Jesu Codex extat papyraceus sæculi XIV nonnullas continens F. Petrarcæ litteras et duas præsertim quas damus inter Varias n^is 6 et 63.
(d). Ibidem Bibliotheca Vaticana Codicem habet distinctum n° 5621 auctoris nostri litteras continentem septem supra octoginta plerasque ineditas et ad posteriores XVII Familiarum libros referendas. Desunt tamen in libro IX littera 1, in libro X littera 2, et in XI litteræ 1, 2 et 6.

Nunc Syllogen proferam eorum qui in Veneta Biblioth. S. Marci asservantur, quorum mihi notitiam singulari humanitate præbuit Josephus Valentinellus v. c. eiusdem bibliothecæ præfectus honoris et grati animi causa mihi nominandus. Extant igitur Venetiis in Bibl. S. Marci:

(e). Cod. LXX, Class. XIII. Membranac. Sæc. XIV, fuitque

primum Francisco Barbaro dein Jacobo Morellio viro eruditissimo; continetque litteras sexaginta novem quarum multæ ineditæ sunt.

(f). Cod. LXXXV, Cl. VI. Membranac. Sæc. XIV. Continet inter alia Petrarcæ opera litteras eius *Sine titulo*.

(g). Cod. CCCXXXIV, Class. XIV. Membranac. Sæc. XIV. Habet litteras sine titulo viginti et unam.

(h). Codd. CCXXXIX et CCXXXI, Class. XIV. Chartac. Sæc. XV; quorum alter duas, alter plures litteras continet, omnes tamen præter unam ex Familiaribus iamdiu vulgatas.

(i). Cod. CCLIV, Class. XIV. Chartac. Sæc. XV. Litteram habet iamdiu editam inter Seniles.

(k). Cod. XVII, Cl. XC. Chartac. Sæc. XV. Integros XVII Senilium libros complectitur.

(l). Cod. LXXX, Cl. XC. Membranac. Sæc. XV. Quinque continet litteras iamdiu editas et fragmenta insuper aliarum quæ itidem in vulgus feruntur.

(m). Cod. CCLIV, Cl. X. Chartac. Sæc. XV. Est in eo pars unius litteræ 4^{a} Libri V, *De reb. fam.*

(n). Cod. VII, Cl. XIV. Chart. Sæc. XV. Litteram habet 8^{am} Lib. VIII Fam. quæ sub initium differt aliquantulum ab ea quæ in vulgus prodiit.

(o). Cod. CCCCLXXVII. Chartac. exeunte Sæc. XIV, vel XV ineunte conscriptus. Titulum habet: Epistolarum Familiarium, Libri VI: reapse tamen octo comprehendit.

(p). Cod. CCLXX, Class. VI, Mss. Ital. Sæc. XVI. Continet litteras tres supra viginti typis iamdiu vulgatas.

(q). Cod. LXIX, Class. XIV, Sæc. XV. Unam tantum litteram habet eamque editam.

(r). Cod. CXX, Class. XI, Mss. It. Sæc. XV. Litteram habet 3^{am} Libri XIII Senilium, eamque Aretini cui Fr. Petrarca illa respondit.

(s). Patavii. In bibliotheca Capitulari codex asservatur vivente adhuc Fr. Petrarca conscriptus, qui octo primos Familiarium libros et insuper litteram continet 14^{am}, Libri XV Fam.

(t). Augustæ Taurinorum. In bibliotheca Athenæi Codex ext distinctus n° 784, unde De Sadius deprompsit ediditq litteras a Francisco Petrarca ad Nicolaum Tribun missas.

(u). Bibliotheca Bodleyana in Anglia Codicem habet qui iam

fuit Abatis Canonici Veneti, quique continet litteras 6^{am} et 7^{am} Lib. II, et lit. 3^{am} Lib. XVII *De reb. fam.*, primam earum quæ *Sine titulo* audiunt, et nonnullas ex poeticis: nulla tamen est quæ nondum in lucem prodierit.

Ditissima ex hac Codicum segete cuinam non videatur Fr. Petrarcæ opus epistolare facili potuisse negotio in integrum restitui? Attamen tria pene sæcula ab ultima Crispini editione effluxere, quin, non dicam ineditis Francisci epistolis in lucem edendis, sed iamdiu editis in eam formam reducendis quæ usui esse posset, operam aliquis navaverit. Adeo enim erroribus perversisque lectionibus scatent editiones omnes quas supra retulimus, eaque oculis ingrata characterum forma et obscura nexuum admixtione impressæ sunt, ut et fastidium semper et sæpe insuperabilem intelligendi difficultatem lectoribus pariant. Nec profecto defuere omnino qui opus hocce meditarentur. Post quam enim eruditissimus vir Laur. Mehusius in vita Ambrosii Camaldulensis celebriorum ex suprascriptis Codicibus notitiam in vulgus edidit, et rationem aperuit quæ litteris Petrarcæ in novam lucem edendis optima sibi videretur, nonnulli quibus Codices illos consulendi plenior erat facultas, in id animum intendere visi sunt ut huic tandem eruditorum voto satis facerent. Infecta tamen res mansit usque ad ætatem hanc nostram, qua denique visa ad exitum properare opera clarissimorum virorum Angeli Fabbronii et Jo. Baptistæ Baldelli equitis, quorum hic alter ineditarum litterarum exemplaribus undique sibi comparatis, eam sibi supellectilem quæsiverat, ut in doctissimo quod edidit commentario de vita et operibus Fr. Petrarcæ se possidere professus fuerit « *il più abbondante e più copioso epistolario che di lui si conosca in Europa.* » Fabbronio verum e vivis elato, publicis ille privatisque negotiis distentus ab incepto desistere coactus est, et liberali prorsus animo collectas illas epistolarum divitias Antonio tradidit Meneghellio Paduano, multarum litterarum viro, iamque in Francisci operibus diu diligenterque versato, qui exoptatæ editioni procurandæ statim incumbens, ut de integritate edendi operis

certior fieret, typis Seminarii Patavini anno 1818 Indicem vulgavit Epistolarum omnium quarum ipse exemplaria sibi haberet, tum editarum tum quæ adhuc essent ineditæ, litteratos omnes viros et præsertim nobiliorum per Europam Bibliothecarum præfectos compellans, ut si quid aliud eius generis alicubi asservatum iis innotesceret, ipsi in præparata editione vulgandum communicarent.[1] Morte tamen præventus, opus infectum et ipse Meneghellius reliquit, aptaque iam prelo suppellex eius de uno in alium tandem in Josephum Vedova Paduanum pervenit, qui programmate in vulgus edito sub die 15 Martii anni 1853 iam iam manus operi videbatur admoturus, perfecissetque profecto nisi inopina fuisset ipse quoque morte præpeditus. Fato sic diceres evenisse ut tot summi viri rem quæ in omnium votis iamdiu est, toties susceptam nondum ad exitum perducere potuerint.

Id ego si fata sinant aggressus, integrum opus *De rebus familiaribus* cæterasque omnes Fr. Petrarcæ epistolas quæ sub *Variarum* nomine iamdiu vulgatæ fuerunt quasque adhuc ineditas extare cognovi, tandem aliquando non solum in lucem proferre, sed, si non exiguo labori vires suppetant, et in Italicam linguam nostram transferre et notis animadversionibusque opportunis illustrare mihi constitui. Quamobrem in id primum incubui ut mihi tota innotesceret litterarum series quibus XXIV Familiarium libri constabant. A primo ad octavum eas cuique reperire datum erat in omnibus hucusque vulgatis editionibus, dummodo quod uni deerat suppleretur ex altera. Dies tamen litterarum qui fere in omnibus desiderabantur, quotquot in Codicibus Parisiensibus inventi sunt, ab illis excerptos addidimus. Quæ tredecim ultimis libris comprehenduntur ex Codicibus Florentinis quos supra litteris E et F designavimus describendas curavimus omnes, iis exceptis quas uti diximus di-

[1] *Index Francisci Petrarchæ Epistolarum quæ editæ sunt et quæ adhuc ineditæ. Patavii, typ. Seminarii.* Initia tantum litterarum ordine alphabetico disposita hoc in Indice reperies; quin ex eo vel nomina appareant eorum ad quos litteræ missæ sunt vel ordo quo inter Familiares aut Seniles aut Varias sint recensendæ. Desunt insuper eo in Indice litteræ nº 23 quarum 4 ineditæ, reliquæ 19 iam editæ fuerant.

verso ordine dispositas, integras tamen Crispinus ediderat. Litterarum vero quibus constant Libri IX, X et XI exemplaria nobis quærenda fuerunt ex Codicib. supra num. I et II designatis, qui in Bibliotheca Imper. Parisiensi asservantur. Sic factum est ut integrum *De rebus familiaribus* volumen, quod antiquis in editionibus litteras tantum 121 complectebatur, ad suam primævam integritatem restitutum litteras hodie 347 exhibeat, quarum 128 erant prorsus ineditæ.

His *Varias* adiunximus, quas scilicet sub hoc nomine veteres editores in lucem dederant, iis inde expulsis quæ inter Familiares primitus ab auctore ordinatæ suis locis a nobis sunt restitutæ, eodemque *Variarum* nomine distinctæ omnes litteræ aliæ nunc primum a nobis vulgantur quæ extra librum Familiarium vagantes inter ineditas hucusque delituerunt: suntque hæ Variæ n° 65 quarum 35 antehac in bibliothecis absconditæ. In iis autem disponendis, ut, deficientibus die et consule, aliquis tamen ordo a nobis servaretur, illum sequuti sumus quem ratio alphabetica secundum initia litterarum in promptu nobis exhibuit.

Nunc de textus lectione multa forsan dicenda essent ut lectoribus pateret quantum laboris et industriæ mihi impensum sit in detegendis atque emendandis quum veterum editionum tum et codicum a quibus epistolæ ineditæ deprompta sunt numero prope dicam infinitis, intellectu sæpe difficillimis erroribus. Nec me fugit longo adhuc intervallo distantem ab ea quam iure quisque postulet huius editionis correctionem inventam iri. Quo enim perfectius opus evaderet necessarium erat omnino textuum editorum ineditorumve, quorum mihi copia facta est, cum aliis per diversas Europæ bibliothecas extantibus comparationem instituere et alterum alterius ope corrigere et emendare. Quod quum ego multis de causis perficere nequiverim, satius duxi curiositati eruditorum qua datum esset ratione consulere, quam sub obtentu imperfecti operis vitandi editionem harum litterarum iterum ad Kalendas græcas amandare.

Ut vero facili quisque negotio nostris queat admissis occurrere, indicem litterarum omnium Fr. Petrarcæ huic præfa-

tioni subiecimus, ex quo ictu pene oculi appareat quibus in codicibus singularum textus reperiatur, ad quorum fidem quidquid imperfecti in hac exciderit editione corrigi possit atque emendari.

Illud denique addam me diu incertum extitisse an litteris hisce notas animadversionesque subiungerem, quæ earumdem diem, occasionem, argumentum declararent, atque ex ipsius Petrarcæ verbis deprompta validissima argumenta suppeditarent, quibus tum civilis historia et litteraria, quum præclarissimorum eius ætatis virorum vitæ resque gestæ illustrarentur. At re mature perpensa, omne illud notarum et animadversionum opus Italicæ litterarum versioni adiungendum reservare visum est. Ne tamen omnem de vita et rebus gestis lector desideret Auctoris nostri notitiam, ex cuius defectu fieri nequit quin sæpe in narrationibus eius intelligendis hæreat, Familiaribus hisce præmittendam duximus Epistolam qua Posteros ipsemet docuit originem gentis suæ, et vitæ actæ rationem usque ad annum ætatis sextum supra quadragesimum. Huic vero procemio nostro Tabulam subnectimus chronologicam eo ordine compositam ut hinc publicos privatosque eventus exhibeat quibuscum ipsius vita lato quoque modo coniungitur, hinc quidquid memoratu dignius ipsi contigerit appareat. Documenta vero criticasque disquisitiones quæ assertarum rerum veritatem confirment, una cum Italica harum epistolarum versione, si cœptis Deus annuat, brevi nos edituros esse confidimus.

IN FRANCISCI PETRARCÆ EPISTOLAS

INDICES

I. Codicum in quibus autographa vel apographa earum asservantur.
II. Litterarum quæ in indice Meneghelliano vel desiderantur vel perperam Petrarcæ adscribuntur.
III. Litterarum omnium editarum et ineditarum Fr. Petrarcæ.
IV. Litterarum quæ sunt *De rebus familiaribus*.
V. Litterarum *Variarum*.
VI. Nominum eorum ad quos singulæ epistolæ missæ sunt.

En tibi, lector amice, indicem epistolarum omnium Francisci Petrarcæ, de quibus notitiam mihi comparavi, tum quæ iamdiu typis vulgatæ fuerunt, tum quæ hucusque ineditæ, primitus hodie in lucem prodeunt. Eas sic dispositas invenies ut uno aspectu perspicias utrum adhuc editæ fuerint an non: rursusque, si editæ, quo in loco prostent editionum Venetæ (an. 1503), Basileensis (an. 1554), et rarissimæ Lugdunensis (an. 1601): omnium vero editarum ineditarumque veluti fontes tibi pateant Codices per diversas urbes dispersi, in quibus earum exempla serventur: quo fiet ut facili negotio ambiguitates erroresque quos præsens editio cavere non potuit removere queas.

Iam vero si epistolis singulis hæc codicum adnotatio extentis verbis fieri debuisset, eædem semper demonstrationes non sine maximo legentium fastidio recursarent, et spatium indici capiendo pene immensum requirebatur. Quæ duo ut vitarem, alium heic indicem præcipuorum Codicum subiiciendum duxi, in quo singulis Codicibus singulæ respondent litteræ alphabeticæ, quæ epistolarum lateri adscriptæ lectorem satis monent ut Codicem in quo illarum quælibet extat statim inveniat. Id tamen lector animadvertat, Codices a nobis litteris D. E. F. designatos tredecim tantum postremos libros *De rebus familiaribus* complecti, ita ut qui in illis liber est primus, vel secun-

dus, vel tertius, libro respondeat integræ collectionis duodecimo, deci motertio, decimoquarto, et sic deinceps.

Quum autem indicem harum epistolarum vulgaverit quoque An tonius Meneghellius anno 1818 initia tantum earum referens, ne quidquam de inscriptione seu ordine earum innuens, quumque mult sint inter illa initialia verba, quæ vel erronee sumpta, vel ad alia Francisci Petrarcæ scriptiones ab epistolis omnino diversas pertinentia curiosum lectorem fallere possent, et eum forsan in opinionem indu cere quod nobis plurimæ epistolæ in huius indicis compositione exci derint; quumque item in indice Meneghelliano multa desint german epistolarum auctoris nostri initia, operæ pretium existimavimus du plicem etiam indiculum subnectere, alterum earum quæ ab indice Meneghellii expungi debent, alterum epistolarum quæ in illo deside rantur.

INDEX CODICUM

IN QUIBUS EXTANT EPISTOLÆ PENE OMNES

FRANCISCI PETRARCÆ.

A.	PARISIIS.	In Bibl. Imp. nº VIIIMDLXVIII.
B.	Ibidem.	Nº VIIIMDLXIX.
C.	ROMÆ.	In Bibl. Angelica. V, 1, 7.
D.	PARISIIS.	Ubi supra, nº VIIIMDLXX.
E.	FLORENTIÆ.	In Bibl. Laurent. C. IV, Pl. LIII.
F.	Ibidem.	Cod. X, Pl. XXVI sin.
G.	Ibidem.	Autograph. Cod. XXXV, Pl. LIII.
H.	Ibidem.	Cod. VIII, Pl. XXIX.
I.	Ibidem.	Cod. III, Pl. LXXVIII.
L.	Ibidem.	Cod. XVIII, Pl. XXXVIII.
M.	Ibidem.	Cod. V, Pl. LXXVIII.
N.	Ibidem.	Cod. XI, Pl. LXXVIII.
O.	Ibidem.	Cod. XVI, Pl. LXXXIX.
P.	Ibidem.	Cod. LXXIII, Pl. LXXXIX inf.
Q.	Ibidem.	Cod. XIII, Pl. XC.
R.	Ibidem.	Cod. XIV, Pl. XC inf.
S.	Ibidem.	Cod. XVII, Pl. XC.
T.	Ibidem.	Cod. XLIII } ex Bibl. Leop. Strozziana.
U.	Ibidem.	Cod. XCII } ex Bibl. Leop. Strozziana.
V.	Ibidem.	Cod. CV } ex Bibl. Leop. Strozziana.
X.	Ibidem.	Cod. CI ex Bibl. Leop. Gaddiana.
Y.	Ibidem.	Cod. CLXXVIII, Oper. Eccl. Metrop.
Z.	Ibidem.	Ex Bibl. Marciana, nº 336, nunc in Magliabech. Pl. I, 1, 28.
a.	Ibidem.	Cod. nº 873 } ex Bibl. Riccardiana.
b.	Ibidem.	Cod. nº 805 } ex Bibl. Riccardiana.
c.	ROMÆ.	In Bibl. Coll. Rom. Soc. Jes.
d.	Ibidem.	In Vaticana, nis 1935, 2951, 3355, 4518, 4523, 4527, 5221, 5621.

e.	Venetiis.	In Bibl. Marciana, Cod. LXX, Cl. XIII.
f.	Ibidem.	Cod. LXXV, Cl. VI.
g.	Ibidem.	Cod. CCXXIV, Cl. XIV.
h.	Ibidem.	Cod. CCXXXIX et CCXXXI, Cl. XIV.
i.	Ibidem.	Cod. CCLIV, Cl. XIV.
k.	Ibidem.	Cod. XVII, Cl. XC.
l.	Ibidem.	Cod. LXXX, Cl. XC.
m.	Ibidem.	Cod. CCLIV, Cl. X.
n.	Ibidem.	Cod. VII, Cl. XIV.
o.	Ibidem.	Cod. CCCCLXXVII.
p.	Ibidem.	Cod. CCLXX, Cl. VI.
q.	Ibidem.	Cod. LIX, Cl. XIV.
r.	Ibidem.	Cod. CXX, Cl. XI.
s.	Patavii.	Cod. Bibl. Capitularis.
t.	Aug. Taurinorum .	Cod. 784 Bibl. Univ.
u.	In Anglia.	In Bibl. Bodley.

INDEX LITTERARUM

QUÆ AB INDICE MENEGHELLIANO EXPUNGI DEBENT.

Adscensum Zenobii. . . . . . . *Est pars altera Ep. 14 Lib. XX Fam.*

Amice dum singulare.. . . . . *Non est Petrarcæ epistola, sed Danduli ad eum.*

Diverso rerum statu. . . . . . *Incipit:* De universo rerum statu; *estque Fam. IV, 4.*

Dominus amicus. . . . . *Incipit:* Communis amicus; *estque Fam. XVIII, 11.*

Et amice quem. . . . . *Incipit:* Te amice quem; *estque Sen. XIII, 14.*

Felix quem summa virtutum. . *Ex Codd.* Q *et* a *patet esse epistolam Com. Battifollii ad Petrarcam.*

Haud equidem fugam.. . . . . *Non est Petrarcæ epistola, sed Gulielmi de Pastrengo.*

Heus care quibusnam.. . . . . *Hæc quoque missa est ab eodem Gulielmo ad F. Petrarcam.*

Hic me Lælius. . . . . *Hæc est pars altera litteræ quæ incipit:* Pro hoc tam mihi.

Ingentem mihi molestiam. . . *Eadem est ac ep. 1 Lib. II Fam., paucis mutatis.*

Indignationem tuam pertimui . *Extat in Cod.* Q, *estque a Comite Battifollio ad Petrarcam missa.*

Lælius antiquis. . . . . *Est epigramma adiectum litteræ* Pro hoc tam mihi.

Morari me Ticini. . . . . *Hæc a Modio Parmensi inscripta legitur Petrarcæ in Cod.* G.

Nolo mireris si in me.. . . . . *Hæc est pars litt. 4 Lib. XIV Fam.*

Tenes memoria diem. . . . . . *Hanc ad Petrarcam misit Gulielmus de Pastrengo.*

Nondum satisfeceram.. . . . . *Est pars litt. 7 Lib. VIII Fam.*

Oris ingentes epistolas. . . . . *Incipit:* Tres ingentes epistolas.

Qua brevis. . . . . *Incipit :* Tua brevis.
Quatuor invectivarum. . . . . *Epistola non est, sed præfatio in Invectivas contra Medicum.*
Quum semper odiosa. . . . . . *Non est epistola, sed præfatio in Litteras sine titulo.*
Saniores multo quam. . . . . . *Incipit :* Suaviores.
Supererat mihi. . . . . *Est pars litt. 7 Lib. VIII Fam.*
Urbano deputatus. . . . . . . *Non litteræ cuiusquam initialia hæc verba sunt, sed ea quibus desinit argumentum in Codicibus litteræ 16 Lib. XI adscriptum.*
Ut compressis aliquando. . . . *Incipit :* Te compressis.

[redacted]

INDEX LITTERARUM

QUÆ IN INDICE MENEGHELLIANO DESIDERANTUR.

Edita. Ad cœnam expectatus.
» Audito rumore flebili.
» Communis amicus an.
» Dudum te scripto alloqui.
» Eloquii splendor.
» Et miramur si.
» Fuerit tibi forsan.
» Fragilibus humeris.
» Ingentem mihi molestiam.
Ined. Litteræ tuæ compater.
Edita. Non desinam quotidie.
» Non facile dici potest.
» Nuper ex procellis.
» Nuper aliud agenti mihi.
Ined. Plenam solitæ humanitatis.
» Pro hoc tam mihi carissimo.
Edita. Tua brevis.
» Regem te Lyrici.
Ined. Suaviores multo quam.
Edita. Te amice quem.
» Te compressis aliquando.
» Tres ingentes epistolas.
» Urget hinc animum.

Ep. 7. Francisco Priori SS. Apostolorum. — *Secus accidit.*
Arg. Se noctem præferre diei: et pro amico humaniter recepto gratias agit.

Ep. 8. Guidoni Septimo Archidiacono Genuensi. — *Quod tam magni.*
Arg. Quod magni is æstimet nomen suum his epistolis inseri.

Ep. 9. Guidoni Septimo Archidiacono Genuensi. — *Rumores.*
Arg. De Italiæ motibus, et præsertim de bello inter Venetos et Genuenses: et de supplicio Marini Falierii Ducis Venetiarum.

Ep. 10. Guidoni Archiepiscopo Genuensi. — *Successibus tuis.*
Arg. Ad Pontificatum Genuensium evecto gratulatur.

Ep. 11. Benintendio. — *Bene mihi accidit.*
Arg. Immeritas sui laudes respuit, oblatam ab eo amicitiam acceptam habet, et duos artis musicæ cultores commendat.

Ep. 12. Carolo IV Augusto Imperatori. — *Italos fines.*
Arg. Discessum eius ab Italia graviter arguit et obiurgat.

Ep. 13. Francisco Priori SS. Apostolorum. — *O prædura sors.*
Arg. Se Legationi apud Cæsarem fungendæ Germaniam versus iter propediem suscepturum nunciat.

LIBER XX.

Ep. 8. Agapito Columnæ iuniori. — *Epistolæ principium.*
Arg. Ægre fert incusari se ob partas divitias amicorum oblivione captum insolescere.

Ep. 9. Amicis tribus. — *Tricipitem epistolam.*
Arg. Se illis invidere quod una vivant.

Ep. 10. Iohanni Aretino. — *Pone spem prolixioris.*
Arg. Agrestis vitæ tranquillitatem nacto gratulatur, et suam vivendi placidam rationem describit.

Ep. 11. Stephano Columnæ Præposito S. Ademari. — *Litteras tuas summa.*
Arg. Germanæ amicitiæ sensus pandit, et malos quosdam homines insectatur.

Ep. 12. Lælio suo. — *Iam duabus ex litteris.*
Arg. Arguit quod mœstus et solicitus sit, et lepide mortem cuiusdam senis mediolanensis enarrat.

Ep. 13. Lælio suo. — *Animi tui statum.*
Arg. Enixe hortatur ut Socratem in veterem amicitiam recipiat, et hunc nullo unquam modo adversus eum aliquid obloquutum fuisse defendit.

Ep. 14. Lælio suo. — *Crescens occupatio.*
Arg. Gratulatur eius cum Socrate redintegratam familiaritatem: asperitatem hyemis conqueritur: denique se ab omni munere in curia obeundo quam maxime abhorrere.

Ep. 15. Socrati. — *Iamdudum mi Socrates.*
Arg. Quod is in veterem Lælii amicitiam redierit gaudio gestit.

LIBER XXI.

Ep. 1. Ernesto Archiepisc. Pragensi. — *Multa animo.*
Arg. Litteras quas scripserat se prudenti consilio mittere noluisse.

Ep. 2. Iohanni Episcopo Olmutiensi. — *Ni luce clarius.*
Arg. Ob eius benevolentiam et acceptum ab eo Diploma, quo Comes sacri palatii renunciatur, quam maximas agit gratias.

Ep. 3. Checco Foroliviensi. — *Carmen egregium.*
Arg. Excusat se quod poeticæ eius epistolæ poetice non respondeat, quodque expetito impar sit ferendo auxilio.

Ep. 4. Bartholomæo Genuensi. — *Amicum facie.*
Arg. Longis crebrisque epistolis scribendis se operam dare non posse.

Ep. 5. IOHANNI EPISCOPO OLMUTIENSI. — *Venit ad Cæsarem.*
Arg. Commendat ei Sacramorem.

Ep. 6. ERNESTO ARCHIEP. PRAGENSI. — *Multa loqui.*
Arg. Sacramorem ei commendat.

Ep. 7. CAROLO IV AUGUSTO IMPERATORI. — *Audaces et timidos.*
Arg. Commendat ei Sacramorem.

Ep. 8. ANNÆ AUGUSTÆ IMPERATRICI. *Tuæ serenitatis.*
Arg. Filiam enixæ gratulatur, et illustrium feminarum memoriam revocans, muliebris sexus laudes celebrat.

Ep. 9. SOCRATI. — *Movisti animum.*
Arg. Hortatur ut fortem in adversis se exhibeat, invidiam temnat, et rerum humanarum vanitatem despiciat.

Ep. 10. NERIO MORANDO FOROLIVIENSI. — *Gratum ut in malis.*
Arg. Hortatur ut valetudinem curet, narratque magnum Ciceronis codicem in lævum crus suum semel iterumque incidisse, et vulnere inde accepto se adhuc laborare.

Ep. 11. NERIO MORANDO FOROLIVIENSI. — *Iam satis rerum.*
Arg. Narrat singularem Henrici Capræ in se benevolentiam, cuius visendi gratia se Bergomum contulit.

Ep. 12. FRANCISCO PRIORI SS. APOSTOLORUM. — *Angustum vitæ.*
Arg. Suum studendi ardorem describit quo temporis angustias laxare conatur.

Ep. 13. FRANCISCO PRIORI SS. APOSTOLORUM. — *Neque quod.*
Arg. Suam vivendi rationem pandit amico.

Ep. 14. FRANCISCO PRIORI SS. APOSTOLORUM. — *Potuit te.*
Arg. Se Mediolano in cœnobium S. Simpliciani recepisse, cuius cœlicolæ vitam ab ignoto auctore enarratam fastidit, eamque ex Augustini operibus summatim ipse excerpit.

Ep. 15. IOHANNI DE CERTALDO. — *Multa sunt in litteris.*
Arg. Obiectam sibi calumniam reiicit se gloriæ DANTIS ALLIGHIERII ullo modo invidere.

LIBER XXII.

Ep. 1. PANDULPHO MALATESTÆ. — *An magis expediat.*
Arg. Utrum expediat uxorem ducere, eamque satius sit e vicinia, vel e longinquo petere.

Ep. 2. IOHANNI DE CERTALDO. — *Statim te digresso.*
Arg. Se scriptis alienis abstinentissimum nihil ex illis in operibus suis scientem inseruisse: quocirca rogat ami-

cum ut quædam Virgilii et Ovidii inconsulto sibi usurpata emendet.

Ep. 3. Barbato Sulmonensi. — *Diu multumque dubius.*
Arg. Mittit epistolas poeticas ipsi incriptas.

Ep. 4. Barbato Sulmonensi. — *Aliquoties Barbate.*
Arg. Dolet absentiam amici, quem tamen brevi se revisurum sperat.

Ep. 5. Philippo Episcopo Cavallicensi. — *O quantis laboribus.*
Arg. Gratulatur reditum amici, eumque a novis laboribus itineribusque suscipiendis dehortatur.

Ep. 6. Zenobio Florentino. — *Mæcenas tuus.*
Arg. Narrat Magnum regni Siculi Senescalcum se visum venisse.

Ep. 7. Iohanni suo. — *Possem ego te.*
Arg. Graviter eum quem domo eiecerat obiurgat, et frustra reditum postulantem hortatur ut resipiscat.

Ep. 8. Socrati. — *Applicuit Bolanus.*
Arg. De duobus qui se visum venere, quorum alterum acceptissimum habuit, alterum importunum.

Ep. 9. Socrati. — *Homo blandus et fallax.*
Arg. Narrat se veniam cuidam licet immerito indulsisse.

Ep. 10. Francisco Priori SS. Apostolorum. — *Animadverti.*
Arg. Sacrarum litterarum studio se intentius vacare.

Ep. 11. Gulielmo Veronensi. — *Virum hunc si nosse.*
Arg. Hominem quemdam ex artifice, senili iam ætate, ad litterarum studia conversum amico commendat.

Ep. 12. Albertino de Canobio. — *Nil nisi pergratum.*
Arg. Mortem fuga haud vitari posse. Furti domestici, quod passus est, historiam enarrat.

Ep. 13. Petro Pictaviensi. — *Anno altero.*
Arg. Litteram quæ hanc sequitur se in itinere scripsisse narrat, et suam de fortuna sententiam aperit.

Ep. 14. Petro Pictaviensi. — *Admiratio inexperientiæ.*
Arg. De militia veterum, et Romanorum præsertim, sui temporis militiæ comparata.

LIBER XXIII.

Ep. 1. Ad ignotum. — *Loquor quia cogor.*
Arg. Adversus agmina militum, quæ *Magnæ Societatis*

nomine Italiam misere vastabant, humanam et cœlestem opem implorat.

Ep. 2. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Lætum me fecit.*
Arg. Neglectam Romani Imperii curam iterum exprobrat, et novas exhortationes eius causa veteribus addit.

Ep. 3. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Tacitus transire.*
Arg. Militem amicum suum Cæsari commendat.

Ep. 4. Bonincontro. — *Iam sero licet.*
Arg. Gratulatur a servitute in libertatem restituto.

Ep. 5. Bonincontro. — *Audio te in senium.*
Arg. Magni senectutem faciendam: nil mortem habere quod terreat.

Ep. 6. Iohanni Episc. Olmutiensi. — *Unde hoc mihi.*
Arg. Immeritas sibi laudes respuit, eique inscriptam mittit Bucolicam.

Ep. 7. Iohanni Episc. Olmutiensi. — *Quod ex meis multis.*
Arg. Commendat generosum adolescentem ut gratiam Cæsaris illi conciliet.

Ep. 8. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Suaviores.*
Arg. Maximas pro cratere aureo gratias agit, seque exacta æstate eum invisurum promittit.

Ep. 9. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Vicisti Cæsar.*
Arg. Se accinctum nunciat itineri eius visendi gratia suscipiendo.

Ep. 10. Iohanni Episc. Olmutiensi. — *Mirus es.*
Arg. Sua imminuens, eius merita extollit, et de proximo suo in Germaniam itinere certiorem eum facit.

Ep. 11. Iohanni Pergamensi. — *Malo consilium.*
Arg. Nefas esse in Iudæa equestrem dignitatem aureis calcaribus ostentare.

Ep. 12. Guidoni Archiep. Ianuensi. — *Nemo miser.*
Arg. Levius fieri patientia quidquid corrigere nequeas. Quam male de se meritus omnique vitiorum labe coinquinatus suus adolescens evaserit. Sæpe uni parata in alterius utilitatem cedere.

Ep. 13. Socrati. — *Ægre fers quod.*
Arg. Haud ægre ferendum quod nostrorum laborum fructus alteris quærantur.

Ep. 14. Iohanni Episcopo Olmutiensi. — *Non exiguum.*
Arg. Vituperat eam scribendi rationem qua unum uti plures alloquimur; et narrat se Germaniam versus profectum, itineribus præclusis, Venetias divertisse.

Ep. 15. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Vereor ne.*
Arg. Hortatur iterum ne res Italiæ despiciat, seque Romanum Imperatorem esse meminerit.

Ep. 16. Iohanni Episc. Olmutiensi. — *Ergo quia.*
Arg. Carere se litteris eius ægre fert, et quamdam spem suam in irritum cessisse minime dolet.

Ep. 17. Hugoni Sancti Severini. — *Litteras tuas inclyte.*
Arg. Flocci se facere quod res suæ Neapoli secus ac optabat acciderint ex culpa aulicorum hominum quos valde vituperat.

Ep. 18. Nicolao Acciaiolo. — *Te quidem vir.*
Arg. Laudat, grates agit, commendat amicum, et loquitur de morte regis.

Ep. 19. Iohanni de Certaldo. — *Anno exacto.*
Arg. De quodam adolescente Ravennate in suam familiaritatem recens accepto. De imitatione, et plagio litterario.

Ep. 20. Francisco Bruno Florentino. — *Sat magnum.*
Arg. Ignoto ex alterius voluntate scribit, et se profert amicum.

Ep. 21. Carolo IV Aug. Imperatori. — *Fessus præteriti.*
Arg. Rursus hortatur ad Romani Imperii gloriam restituendam.

LIBER XXIV.

Ep. 1. Philippo Episc. Cavallicensi. — *Ante hos triginta.*
Arg. De brevitate vitæ.

Ep. 2. Pulici Vicentino. — *In suburbano.*
Arg. Narrat se in contentionem adductum cum aliquo qui Ciceronem ullo modo reprehendi non patiebatur.

Ep. 3. M. Tullio Ciceroni. — *Epistolas tuas.*
Arg. Reprehendit naturam eius inconstantem et contentiosam.

Ep. 4. M. Tullio Ciceroni. — *Si te superior.*
Arg. Ingenium eius laudibus effert: Virgilio eum comparat: opera eius enumerat: deflet cæcitatem ætatis suæ eorum incuriosæ.

Ep. 5. Annæo Senecæ. — *Petitam a tanto viro.*
Arg. Laudat eius de moribus doctrinam: obiurgat quod in aula Neronis Aug. constiterit, eiusque familiaritatem in pretio habuerit.

Ep. 6. M. Varroni. — *Ut te amem.*
Arg. Ingens laus eius: et de amissis operibus lamentatio.

Ep. 7. M. F. Quintiliano. — *Olim tuum nomen.*
Arg. De illius Institutionibus Oratoriis, quas libris rhetoricis M. T. Ciceronis ut sermonis elegantia sequiores, sic doctrinæ diligentia potiores habendos affirmat.

Ep. 8. Tito Livio. — *Optarem si ex fato.*
Arg. Ingenium eius extollit librosque deperditos lamentatur.

Ep. 9. Asinio Pollioni. — *Dum veniret.*
Arg. Amplissima eius doctrinæ, et rerum belli domique gestarum laus. Obiurgatio invidiæ qua laboravit in Ciceronem.

Ep. 10. Horatio Flacco. — *Regem te lyrici.*
Arg. Se captum admiratione carminum eius, quorum ex industria poeticam veluti syllogen contexit.

Ep. 11. P. Virgilio Maroni. — *Eloquii splendor.*
Arg. Quærit de statu eius: quid Mantuæ, quid Neapoli agatur aperit: de Roma tacet: eumque de pretio universorum iudicio tribus maximis eius operibus addito certiorem reddit.

Ep. 12. Homero. — *Dudum te scripto.*
Arg. Respondet litteris eius nomine sibi missis: multa de eius operibus impensa et cura sua latine redditis: de suo græcarum litterarum studio, deque iis qui per Italiam tunc temporis eas colebant. Excusat Virgilium quod nullam eius in Æneide mentionem fecerit, eumque super cæteris quæ scripsit bono animo esse iubet.

Ep. 13. Socrati. — *A te principium.*
Arg. Epistolas hasce de rebus familiaribus, de quarum ordine quædam enarrat, illi rursus inscribit.

EPISTOLARUM VARIARUM LIBER UNICUS.

Ep. 1. Ludovico Gonzagæ Duci Mantuano. — *Accepi.*
Arg. Est epistola apocrypha a Possevinio edita, qua Franciscus a Ludovico Mantuam fuisse accersitus, eidemque gratias egisse dicitur.

Ep. 2. Zenobio Florentino. — *Ad ea quæ scribis.*
Arg. Homericum fragmentum et suæ cuiusdam epistolæ particulam se missurum promittit.

Ep. 3. Urbano V Pont. Max. — *Ad motum sponsi.*
Arg. Enixe hortatur ut Romæ consistat, nec Sedem Apostolicam reducat in Gallias.

Ep. 4. Modio Parmensi. — *Amice quibus oculis.*
Arg. De obitu Azonis de Corrigio. Queritur epistolas suas intercipi, et nonnulla de scriptis suis mandat.

Ep. 5. Nicolosio Bartholomæi Lucensi. — *Amicus noster.*
Arg. Litterarum, quas a Senatu Populoque Florentino recepit, et responsionis suæ mittit exemplar.

Ep. 6. Guidoni Episc. Portuen. Cardinali. — *Audito rumore.*
Arg. Galeatii Vicecomitis nomine conqueritur casum regis Galliarum in Anglorum servitutem una cum filio redacti.

Ep. 7. Ad ignotum. — *Babylonicis tandem vinclis.*
Arg. Narrat se Avenione redeuntem Iohannis Vicecomitis Archiepiscopi et dynastæ Mediolanensis precibus victum Mediolani constitisse.

Ep. 8. Modio Parmensi. — *Carmen egregium.*
Arg. Adolescentem litteris instituendum eius curæ commendat.

Ep. 9. Pandulpho Malatestæ. — *Colende ante alios.*
Arg. Dolet mortem uxoris et fratris eius, excusat se quod vocatus illum non adeat, et mittit carmina quæ vulgari sermone dictaverat.

Ep. 10. Benintendio. — *Colende semper.*
Arg. Mittit epitaphium Andreæ Danduli sepulchro inscribendum, seque iamdiu a carminibus abstinere dicit.

Ep. 11. Petro Bononiensi. — *Compater et amice.*
Arg. Adolescentem litteris instituendum commendat.

Ep. 12. Modio Parmensi. *Deo duce incolumis.*
Arg. Narrat belli difficultatibus iter sibi in Germaniam interdictum: et quædam in libro suo « *de vita solitaria* » emendanda committit.

Ep. 13. Gulielmo de Pastrengo. — *Digne quidem.*
Arg. Absentiæ suæ ab urbe causam pandit amico.

Ep. 14. Socrati. — *Duos solitariæ vitæ.*
Arg. Cavendum esse ne quis offensionis causam nostris e scriptis capiat.

Ep. 15. Francisco Bruno. — *Epistolam tuam.*
Arg. Opem aliquam ferri rebus suis domesticis a Pont. Maximo desiderat, quin tamen ullam exposcere ab illo velit.

Ep. 16. Giberto et Ludovico de Corrigio fratribus. — *Epistolam vestram.*
Arg. Lamentatur mortem patris, seque eos constanter amaturum promittit.

Ep. 17. Ad ignotum. — *Equus meus stabulis tuis.*
Arg. Quod equum suum custodierit sanumque remiserit gratias agit: et patientiam in adversis suadet.

Ep. 18. Ad ignotos. — *Excellentiæ vestræ litteras.*
Arg. Dolet mortem patris eorum, et ab eius epitaphio scribendo se excusat ob malam sui valetudinem.

Ep. 19. Modio Parmensi. — *Heu mihi quid hoc.*
Arg. Demortui Azonis de Corrigio memoriam sibi carissimam lacrimis et desiderio prosequitur.

Ep. 20. Ad ignotum. — *Illius viri optimi.*
Arg. Quod nuncium suum comiter exceperit gratias agit: quod illum pecunia donaverit amicitiam eius reprehendit.

Ep. 21. Domino Parmensi. — *Inter curarum mearum.*
Arg. Zelotypia laborantem hortatur ut omnem suspicionem animo deponat.

Ep. 22. Barbato Sulmonensi. — *Invidisse fortunam.*
Arg. Absentiæ dolorem scribendo leniri. Nimium se ab illo laudari: nimis plus æquo fieri scripta sua, quibus undique colligendis operam dabat.

Ep. 23. Ad Ignotum. — *Iucunda ipsa felicitate.*
Arg. Epistola hæc ingeniosus lusus est: si recto ordine legas, commendat illum cui mittitur et omnia ei bona precatur: si ordine inverso ab ultimo verbo incipias et retrorsum gradiaris ad primum, illum de omni vitio et pravis moribus exprobrat, et caput eius diris devovet.

Ep. 24. Iohanni Aretino. — *Iucundum in stuporem.*
Arg. Hospitium a domino eius liberaliter Mantuæ delatum se fortasse acceptum habiturum.

Ep. 25. Iohanni de Certaldo. — *Iucundum negocium.*
Arg. Cur Mediolani constiterit. De vulnere quod codex Ciceronis in eius crus cadens intulerat. De quibusdam magnis viris sui gratia honorabili exceptis hospitio. De Homeri poematis a Leontio latine reddendis.

Ep. 26. Talarando Episc. Albanen. Cardinali. — *Lex triumphalis Romæ.*
Arg. Gratulatur ob pacem eo procurante initam inter reges Galliarum et Angliæ.

Ep. 27. PETRO BONONIENSI. — *Litteræ tuæ compater.*
Arg. Se bene valere. De obitu Pandulphi Malatestæ et Iohannis Pepoli. De rebus suis familiaribus.

Ep. 28. AZONI DE CORRIGIO. — *Litteræ vestræ cuncta.*
Arg. Gratulatur quod in gratiam Vicecomitum dominorum Mediolanensium redierit.

Ep. 29. FRANCISCO PRIORI SS. APOSTOLORUM. — *Litteras tuas iucundissime.*
Arg. Amorem obesse iudicio.

Ep. 30. GULIELMO DE PASTRENGO. — *Litteras tuas ornatissimas.*
Arg. Nunciat duos amicos propediem illum invisuros, et de dono accepto grates agit.

Ep. 31. PANDULPHO MALATESTÆ. — *Littera vestra.*
Arg. Excusat se quod valetudinis causa Pisaurum quo ab eo advocabatur non adeat. Nunciat se in collibus Euganeis rusticari: et de morte uxoris eius aliquid innuit.

Ep. 32. NERIO MORANDO. — *Morari cogor.*
Arg. Vituperat eam scribendi rationem qua unum plurali numero recentiores alloquuntur. Paulum Annibaldescum pusilli animi accusat quod ob filii mortem dolore confectus et ipse obierit.

Ep. 33. AD IGNOTUM. — *Miratur ille vir.*
Arg. Se culpa vacare quod aliquid in Ciceronis et Senecæ operibus reprehensione dignum censuerit.

Ep. 34. FRANCISCO BRUNO. — *Nisi valde fortibus.*
Arg. Amicum iterum illi commendat.

Ep. 35. GULIELMO DE PASTRENGO. — *Nomen tuum optime.*
Arg. Nunciat mortem Iohannis sui.

Ep. 36. BENEDICTO COLUMNÆ EPISC. THEATINO. — *Non aliter litteras.*
Arg. Gratulatur dignitatem illi collatam.

Ep. 37. MODIO PARMENSI. — *Non cogitabam.*
Arg. Epistolæ ab eo acceptæ breviter respondet.

Ep. 38. NICOLAO LAURENTII TRIBUNO POP. ROM. — *Non desinam quotidie.*
Arg. Rebus cœptis perficiendis animos addit: litteras eius avidissime exquiri et in vulgus ferri, earumque stilum sibi maxime probari.

Ep. 39. PETRO BONONIENSI. — *Non epistolas tuas.*
Arg. Nonnulla de Dyrrachio urbe: et litteras amicis quibusdam reddendas mittit.

Ep. 40. Nicolao Laurentii Tribuno Pop. Rom. — *Non facile dici potest.*
Arg. Allegorici somnii narratione cavere eum iubet inimicorum insidias.

Ep. 41. Philippo Episc. Sabin. Cardinali. — *Non sum oblitus.*
Arg. Commendat ei Iohannem Aretinum.

Ep. 42. Nicolao Laurentii Tribuno Pop. Rom. — *Nuper ex procellis.*
Arg. Vallis Clausæ amœnitatem describit; Eglogam de rebus ab eo gestis a se compositam mittit, et arcanam eiusdem significationem pandit.

Ep. 43. Benintendio. — *Omnis ut arbitror.*
Arg. Rogat ut Senatum Reipublicæ Venetæ suadeat bibliothecæ suæ donum accepto habere.

Ep. 44. Francisco Priori SS. apostolorum. — *Onerabo te.*
Arg. Blateronis importuni faceta descriptio.

Ep. 45. Iacobo Florentino. — *Orationem Tullianam.*
Arg. Mittit orationem M. T. Ciceronis pro Archia poeta, tresque alias petit ab eo, cui Philippicas iamdiu acceptas quamprimum se redditurum spondet.

Ep. 46. Modio Parmensi. — *Perfudisti me.*
Arg. Gratulatur adventum eius, et de villa sua quam Linterni nomine designat, itemque de alia inter colles Euganeos nonnulla innuit.

Ep. 47. Francisco Bruno. — *Prædilecte frater.*
Arg. Commendat ei presbyterum ad Pontificem euntem.

Ep. 48. Nicolao Laurentii Tribuno Pop. Rom. eidemque Populo Romano. — *Primumne tibi.*
Arg. Hæc est, quam vocant *hortatoriam*, epistola ad libertatem Romanæ Reipublicæ tuendam.

Ep. 49. Barbato Sulmonensi. — *Pro hoc tam mihi.*
Arg. Commendat ei Lælium et mittit secundam ex Eglogis suis, cuius occultam sententiam explanat.

Ep. 50. Iohanni Parmensi. — *Quæris ex me.*
Arg. Virtutem allegorice describit, eamque sectandam amico suo proponit.

Ep. 51. Gometio Albornotio. — *Quamdiu placitum.*
Arg. Commendat ei Donatum Aretinum.

Ep. 52. Stephano Columnæ Præposito Sancti Ademari. — *Quid delectationis.*
Arg. Solitudinem laudat, doletque se eius visendi spe cecidisse.

Ep. 53. Prioribus Artium Vexillifero Iustitiæ Populoque Florentino. — *Sæpe mihi propositum.*
Arg. Ut de interfectoribus amicorum suorum vindictam sumant enixe eos rogat.

Ep. 54. Bartholomæo de Pace. — *Sensi olim nobilem.*
Arg. Addit animos ad scribendum, et præcepta tradit. Mortem plurium amicorum suorum lamentatur.

Ep. 55. Philippo Episc. Cavallicensi. — *Si quidquid mea.*
Arg. Rogat ut a Pontifice Maximo opem sibi ferri, salva tamen libertate sua, curet.

Ep. 56. Francisco Priori SS. Apostolorum. — *Solebant Romani Consules.*
Arg. De Legati nomine. Se gravi periculo, Deo adiuvante, incolumem evasisse, eumque Cardinali Legato enixe commendasse.

Ep. 57. Iohanni Barilio. — *Solitis et inexplicabilibus.*
Arg. Mittit ad eum epistolam poeticam.

Ep. 58. Gasparo Veronensi. — *Sunt quidam sic.*
Arg. Dolorem lacrimis leniri. Amicorum mortem deflet.

Ep. 59. Marquardo, ut dicitur, Episc. Augustensi. — *Superbiæ imo insaniæ.*
Arg. Ob litteras superbiæ et iactantiæ plenas ab eo sibi missas Galeatius Vicecomes Episcopum indignanter alloquitur et minis insequitur.

Ep. 60. Modio Parmensi. — *Tua brevis.*
Arg. Duo illi opuscula mittit de quibus iudicium suum exquirit.

Ep. 61. Iohanni Parmensi. — *Uberem messem.*
Arg. Explicat allegoriam quæ superiori epistola N°. 50 continetur.

Ep. 62. Ad ignotum. — *Virtuti tuæ congratuler.*
Arg. Gratulatur victoriam.

Ep. 63. Carolo Delphino Galliarum. — *Urget hinc animum.*
Arg. De eadem re quæ superiori epistola N°. 6 acta est.

Ep. 64. Philippo Episc. Cavallicensi. — *Utcumque aliis.*
Arg. Quæ tempore anteacto beneficia accepit commemorat, et pro noviter oblatis gratias agit.

Ep. 65. Ad ignotum. — *Ut inter tot.*
Arg. Mittit versum Eglogæ X adiungendum.

[redacted]

NOMINA EORUM

AD QUOS FRANCISCI PETRARCÆ LITTERÆ

MISSÆ SUNT

ALPHABETICO ORDINE DISPOSITA.[1]

A

B

[1] Notis F. S. et Var. litteras *de Reb. Familiaribus, Seniles, et Varias* designavimus.

C

G

H

I

P

Q

R

S

TABULÆ SYNCHRONÆ

AD VITAM

FRANCISCI PETRARCÆ.

Quamvis omnia fere, quæ in hisce tabulis continentur, ex Fr. Petrarcæ operibus desumpta fuerint, haud satis tamen visum nobis est ad hæc lectorem revocare, præsertim ut eventus singulos annis illis, quibus eos nos adscripsimus, merito referri ipse sibi suaderet. Temporum enim determinatio plerumque pendet ex plurium, quæ in operibus extant, comparatione, quam in animadversionibus, italicæ translationi a nobis adiunctis, diligentius instituimus: eaque propter has in margine proposuimus, ut ea, quæ de vita auctoris nostri asserimus, opportunis rationum momentis confirmata ibi lector inveniat.

1302. Carolo Valesio Ghibellinorum, qui *Nigri* dicebantur, partes favente, sexcenti ex *Albis* Florentia exulare iussi. — Chron. Dini (Lib. 2.
In locum Bonifacii VIII Pont. Max., vita functi, Benedictus IX sufficitur. — Platina.

1304. Die 20 Iulii, *Albi*, Florentia extorres, vi civitatem ingredi frustra conantur. — Sen. VIII, 1.
Die 22 Iulii, ex veneno obit Perusiæ Benedictus XI Pont. Max. — Din. Comp. I

1305. Mense Iunio, Clemens V Pont. Max. renunciatur. — Din. Comp.

1307. Nascitur Avenione Laura De Noves. — Nota 9, II.

1309. Clemens V. P. M. Apostolicam Sedem Roma Avenionem transfert. — Platina.
Robertus Andegavensis Siciliæ rex. — Nota 3, IV.

1312. Enricus VII Imperator Florentiam petit. — Murat. Ann.

1313. Die 24 Augusti, Enricus VII Imp. obit in oppido Bonconvento. — Id.

1314. Carpentoracti in Galliis diem obit supremum Clemens V. Pont. Max. Coeunt in comitia Patres Cardinales, reque infecta, inde discedunt. — Platina.

1316. Iohannes XXII Pont. Maximus renunciatur. — Id.

1319. Robertus, Neapolis Rex, eiusque coniux Sancia Avenionem se conferunt ibi usque ad annum 1324 morantur, et Vallemclausam invisunt. — Nota 3, IV.

1323. Ghibellinos, quorum obsidione tenebantur, die 17 Februarii Guelfi Genuenses longe repellunt. — Nota 8. XI.

1302.	Petraccus Parentii filius, domo Ancisa, notarius tabularii Reip. Florentinæ (*delle riformagioni*), Florentia exulare cogitur. Hinc die 20 Octobris, sub obtentu falsi in actis admissi, manus abscissione et mille librar. nummis mulctatus, civitate excedit, et cum uxore Electa Canigiana se confert Aretium.	Din. Comp. lib. 2. Gamurrini, Geneal. vol. X, fol. 416. Litt. ad Posteros.
1304.	Die lunæ 20 Iulii, sub auroram, Aretii, in via quæ dicitur « dell' Orto » nascitur Franciscus, Petracchi filius, dum pater eius, aliique Florentini exules reditum in patriam moliuntur.	Sen. VIII, 1; XIII, 2. Nota Var. 41.
1305.	Februario mense a matre ad oppidum Ancisam deductus, vita in transitu Arni fluminis periclitatur. Eo in pago usque ad ætatem septem annorum subsistit.	Præf. ad Socrat. Litt. ad Post.
1307.	Parit Electa in oppido Ancisa germanum Francisco, Gerardum.	Litt. ad Post. et Nota.
1312.	Petraccus uxorem et filios Pisas adducit, ibique per septem menses subsistit.	Præf. ad Socrat. Nota ad Litt. ad Post.
1313.	Petraccus, cum uxore et filiis, in Gallias mari transit: prope Massiliam vix sospes e naufragio evadit, seque Avenionem confert.	Litt. ad Post. et Nota.
	Franciscus, Petracchi filius, et Guido Septimus amicitia iunguntur.	Sen. X, 2, et Nota 16, V.
1315.	Franciscus Carpentoractum mansum vadit, ibique prima litterarum rudimenta, doctore Convennole, recipit.	Sen. X, 2, et Nota 16, V.
1316.	Guidone Septimo comite, Vallemclausam primum invisit.	Ibid.
1319.	Montempessulanum se confert iurisprudentiæ studiis ineundis.	Ibid.
1323.	Bononiam cum Gerardo fratre et Guidone Septimo petit, iuris civilis pleniorem sibi doctrinam comparatum: ibique condiscipulos habet Thomam Messanensem,	Sen. X, 2, et Notæ 12, IV, 16, V, 2, VIII.

1325. Laura de Noves nubit Hugoni De Sade. Not

1328. Ludovicus Bavaricus Imp. anathemate plectitur. Iacobus Columna ad Sancti Marcelli postes, in urbe, excommunicationis sententiam affigit. Io.

1329. Iacobus Columna Lomberiensis Ecclesiæ Episcopus renunciatur. Io.

1331. Iohannes Columna, cui a S. Vito nomen, Avenione relicta, Romam petit. P. I

1332. Iohannes Luceburgensis Bohemiæ rex cum Philippo Valesio rege Galliarum fœdus init: cumque Italiam invasisset, Pontificem Maximum Avenionem adit, ut, eo probante, geratur res. Io.

1333. Columnenses de Ursinis victoriam ferunt. Iacobus Episcopus Lomberiensis Romam proficiscitur. Not

Iohannes XXII Pont. Max. innuit, se Romam sedem reducturum: et sacrum bellum indicit ad sepulchrum Iesu Christi D. N. recuperandum, Philippo Rege Galliarum summo duce exercituum. De

Mainardum Accursium, Iacobum Columnam etc.
Venetias per ferias invisit.

4. Selvagia, Petracchi filia et Francisci soror naturalis, nubit Tano de Semifonte. — Nota ad Litt. ad Post.

6. Obit Petraccus Francisci pater. Hic die 26 Aprilis, una cum Gerardo fratre, Bononia discedit, et Avenionem revertitur. Paucis post diebus obit et Electa eorum mater. — Die 29 Octobris, Virgilii codicem per furtum amittit, quem deinde repertum necrologicis documentis sua manu adnotavit. — Litt. ad Post. F. IV 1. Nota 1, IV. Nota 15, VII.

In familiaritatem Columnensium adducitur. — Sen. XV, 1. Nota 12, IV

7. Die 6 Aprilis, Lauram De Sade videt, eiusque amore irretitur. — Nota 9, II.

9. Iter per Belgium Helvetiamque peragit. — Sen. XVI, 1. Nota 12, XIX.

0. Comes in itinere a Iacobo Columna Episcopo susceptus, Lomberiensem eius sedem adit, ibique per æstatem moratur, et arctissima amicitia Socratem Læliumque sibi devincit. Avenionem reversus, Stephani Columnensis senioris eiusque filiorum gratiam meretur, et Iohanni Columnæ Cardinali familiari contubernio adiungitur. — Litt. ad Post. Sen. XV, 1. Notæ 3, 1, 20, III, 12, IV.

1. Ad Stephanum Columnam seniorem mittit italicum carmen, *Gloriosa Colonna.* — Nota 12, IV.

3. Ad Æneam Ptolemæum Senensem scribens, Italiæ damna lamentatur. — Ep. Poet. I, 3.

Curiositatis causa Gallias et Germaniam invisit. — Nota 3, I.

Die 22 Iunii, Aquas Sextias, die 9 Augusti, Lugdunum ingreditur. — F. I, 3, 4, 5.

Scribit italica carmina: *Vinse Annibal* - *Giovane donna* - *Il successor di Carlo,* illudque, quod Iacobo Episc. Lomberiensi mittit: *O aspettata in ciel.* — De Sadius in Nota IX, T. 2.

1334. Die 4 Decembris obit Iohannes XXII Pont. Max., et in eius locum Benedictus XII die 20 mensis eiusdem sufficitur. Platina.

1335. Moritur Avenione Oldradus Leodiensis Iurisconsultus. Nota 17, IV.

Mense Iunio, Scaligeri, Rossiis Parma pulsis, eius civitatis regimini Guidonem de Corrigia præficiunt. Nota 9, IV.

Azo de Corrigia, comite Guillelmo De Pastrengo, Avenionem se confert, iuribus Scaligerorum, adversus Rossios, super dominio Civitatis Parmensis, coram Pontifice Max. tuendis. Notæ 9, IV, 5,

1336. Die 29 Ianuarii, Benedictus XII P. M. controversiam de visione beatifica auctoritate apostolica dissolvit. Nota 12, II.

1337. Stephanus Columna et Paulus Annibaldus Senatores in Urbe. Notæ 4, 8, II

1338. Bellum ineunt Philippus Rex Galliarum et Eduardus III Angliæ Rex. Nota 10, III.

Umbertus Delphinus Viennensis Avenione moratur. Ibid.

Azo de Corrigia et Guillelmus de Pastrengo Pontificem Maximum supplices adeunt, ut Mastinum Scaligerum, reum de cæde Bartholomæi Episcopi Veronensis, pro summa potestate absolvat. Nota 15, IX.

1334. Benedictum XII Pont. Max. poetice adhortatur, ut Sedem Apostolicam Romam reducat. — Ep. Poet. I, 2.

1335. Benedictus XII. P. M. canonicatum in Ecclesia Lomberiensi primum Francisco beneficium confert, litteris apostolicis diei 25 Ianuarii. — Regest. Benedicti Pp. XII. Nota 13, IV.

Franciscus coram Pont. Maximo et S. R. E. Cardinalibus iura Scaligerorum et eorum De Corrigia, adversus Rossios tuetur et asserit. — F. 5, IX. Nota 9, IV.

Hinc cum Azone de Corrigia et Guillelmo de Pastrengo arctissimo familiaritatis vinculo devincitur. — Notae 9, IV, 15, IX.

1336. Die 26 Aprilis, Montis Ventosi cacumen adscendit. — F. IV, 1, et Nota.

Sub exitum anni huius, maritimo itinere Massilia profectus, Romam petit, et prope Centumcellas adversa agitur tempestate. Scribit Italicum carmen: *Tra la riva Toscana e l'Elba e il Giglio.* Subsistit in Monte Caprarum apud Ursum, Anguillariæ comitem, cui nupserat Hagne Columna. — Notae 12, II, 1, III.

1337. Iacobus Episcopus Lomberiensis et Stephanus Columna frater eius obviam Francisco ad Montem Caprarum se conferunt, die 6 Ianuarii: et die 14 mensis eiusdem ei Romam eunti se comites adiungunt. — F. 13, II, et Nota 12. II.

Benedictum XII Pont. Max. iterum poetica epistola hortatur, ut Sedem Apostolicam Romam reducat. — Ep. Poet. I, 5.

Roma profectus, Hispanicum et Britannicum mare navigat, et longum post iter, die 16 Augusti, Avenionem redit. — Ep. Poet. I, 7. F. III, 2. Nota 1, III.

Ad fontem Sorgiæ, in Valleclausa, secedit. — Ep. Poet. XII, 1. Litt. ad Post.

Filium naturalem suscipit nomine Iohannem. — Nota 17, VII.

Philippum De Cabassoles Episcopum Cavallicensem amicitiæ sibi fœdere iungit. — Nota 1, II.

Pontium Sansonem veterem condiscipulum suum, Ecclesiæ Cavallicensis Archidiaconum, revisit. — Nota 7, XIV.

Petrum Pictaviensem cognoscit. — Nota 13, XXII.

1338. Umberto Delphino et Gerardo fratre comitibus, specum Mariæ Magdalenæ prope Massiliam invisit, et quædam de ea latina carmina dictat. — Nota 10, III.

Gerardus, Francisci frater, Cœnobium Cartusianorum ad Montem Rivum primitus invisit. F. X, 4.

1339. Simon Memmius Senensis, pictor egregius, a Benedicto XII Avenionem arcessitur. Vasar. Vitæ Pi Ciaccon. a [illegible] X

Genuensis Respub. se primum Duci regundam committit. Nota 8, XI.

Bernardus Barlaamus, monachus ordinis Basiliani, ab Imperatore Orientis missus, Avenionem petit. Nota 2, XVIII.

Fr. Dionysius, domo Burgo S. Sepulchri, e scholis Parisiensibus in Italiam rediens, per Avenionem transit: deinde Roberto Rege eum advocante, Neapolim adit, et Episcopus Monopolitanus renunciatur. Nota 7, III.

1340. Armatorum copiæ, *Magnæ Societatis* nomine infames, Italiam introeunt. Nota 1, XXIII.

1341. Azo de Corrigia Francisco Italiam petenti, Neapolim usque, se comitem adiungit. Notæ 7, 9, IV.

Ursus, Anguillariæ Comes, et Iordanus Ursinus Senatoria potestate ad integrum diem 8 Aprilis in urbe funguntur. Notæ 7, 8, IV.

Die 21 Maii, fratres de Corrigia, opitulante Luchino Vicecomite, Parmam Scaligerorum dominio subductam, per vim eiecto eorum præsidio, summæ potestatis nomine occupant. Nota 9, IV.

Moritur Thomas Caloria Messanensis. Nota 1, I.

Moritur Iacobus Columna, Episcopus Lomberiensis. Nota 12, IV.

	Virgilii codicem, quem furto anno 1326 amiserat, die 17 Aprilis anni huius recuperat.	Nota 15, VII.
	Ad fontem Sorgiæ vivit in secessu, et si quando Avenionem petit, Lælii utitur hospitio.	Nota 15, IX.
1339.	Feria VI maioris hebdomadæ, poema sibi de Africa scribendum proponit.	Ep. ad Post. De Sadius, T. I, p. 403.
	Barlaamo doctore, primis linguæ græcæ rudimentis ediscendis dat operam: mox illo Neapolim accersito, vix cœptum studium deserit.	Nota 2, XVIII.
	Fratrem Dionysium de Burgo S. Sepulchri, quem Parisiis cognoverat, Avenione revisit.	Nota 7, III.
	Litteras recipit a Roberto Siciliæ Rege missas, iisque die 26 Decembris ipse respondet.	F. 3, IV, et Nota.
1340.	Una eademque die, kal. Septembris, ad coronam poeticam solemni ritu recipiendam, Romam et Parisios accersitur.	F. IV, 4 et Nota.
1341.	Februario mense exeunte, Massiliam, et inde maritimo itinere Neapolim proficiscitur.	F. IV, 6, et Notæ 6, 7, IV.
	Suæ eruditionis periculo publice facto, a Roberto Rege dignus qui poetica donetur corona renunciatur: sacris regiæ domus addicitur, regali veste donatur, acceptisque litteris ad Senatum, quæ indubiam suæ doctrinæ fidem faciant, Romam proficiscitur, comitantibus Iohanne Barilio milite, et alio legationis socio, qui Roberti nomine solemni cærimoniæ in Capitolio adstarent.	F. IV, 7 et Nota.
	In familiaritatem Barbati Sulmonensis et Pauli Perusini Neapoli adducitur.	Nota 7, IV.
	Die 4 Aprilis, Neapoli proficiscitur. Iohannes Barilius, eo parumper relicto, deflectit iter, et prope Ananiam incidit in manus latronum. Romam ipse pervenit die 6 Aprilis.	Notæ 7, 8, IV.
	Die Paschatis, 8 Aprilis, in Capitolio, Ursus, Anguillariæ Comes, Senator urbis, Francisci capiti lauream imponit.	Notæ 7, 8, IV.
	Una cum fratribus De Corrigia, Parmam ab iis captam ingreditur.	F. IV, 9.
	Singularis cæci Pontremulensis in Franciscum observantiæ documentum.	Nota 9, IV.
	Animi gratia in Sylva Plana deambulans, de Africa cogitat, et intermissum Poema paucis ferme diebus ad exitum perducit.	Litt. ad Post. Ep. Poet. II, 16 et 18, Nota 9, IV.
	Domum Parmæ sibi comparat: ni forte, adversus De Sadium, id dicas anno 1344 ab eo factum fuisse.	Notæ 9, IV, 16, IX, de Sadius, T. II. pag. 21.
	Mortem Episcopi Lomberiensis in somnio mire præsentit, ea ipsa nocte qua elatus est.	F. V, 7.

1342. Fr. Dionysius a Burgo S. Sepulchri, Episcopus Monopolitanus, obit Neapoli. — Ep. Post. I, 3. Nota 7, III.

Die 25 Aprilis, Benedictus XII Pont. Max. vita excedit, eique, die 7 Maii, sufficitur Clemens VI.

Nicolaus Laurentii, et decem septem alii oratores cum eo, Populi Romani legatione funguntur ad Clementem VI. — Vita Nicolai Tribuni.

Mulier, quam Gerardus Francisci frater amabat, excedit e vita. — Nota ad Litt. ad Post.

Barlaamus Avenionem redit: inde, die 2 Octobris, Episcopus Geracensis renunciatur. — Nota 2, XVIII.

Gerardus, Francisci frater, in cœnobio Montis Rivi religiosam Carthusianorum vitam amplectitur. — Nota ad Litt. ad Post.

1343. Mense Ianuario, moritur Robertus Siciliæ Rex. — Nota 1, V.

Philippus Episcopus Cavallicensis Neapolim, supremus regni moderator, defuncti regis voluntate accersitur. — Nota 1, II. 1, V.

Obizzo Estensis Mastini Scaligeri copias adversus Parmæ dominos ducit, et urbem obsidione cingit. — Nota 10, V.

Siculi res regni, in aulicorum et præsertim Catanensis mulieris, Sanciæ, et Roberti fratris franciscalis arbitrium collatæ, in pessum ruunt. — Notæ 3, 6, V.

Mense Augusto, Florentini Ducem Athenarum tyrannum expellunt. — Nota 12, XII.

Die 25 Novembris. Horrenda in sinu Neapolitano sævit maris tempestas. — Nota 5, V.

1344. Die 28 Novembris, Clemens VI P. M. Aloisium Ferdinandi, Hispaniarum Regis, nepotem Insularum Fortunatarum Regem dicit. — Reg. Clem. VI.

Azo de Corrigia Parmæ dominium Obizzoni Estensi vendit. — Nota 10, V.

Die 7 Decembris. Gonzagæ, Mantuæ dynastæ, fœdere inito — Nota 10, V.

1342.	Invito animo Franciscus Italia discedens, Avenionem repetit. An legati munus apud Clementem VI. P. M. obierit, in dubio res est.	Ep. Poet. III, 19. Notæ 9, IV. Var. 57.
	Ad Episcopum Cavallicensem, ægrotare Pontificem Maximum scribit.	S. T. *Quid agis.*
	Nicolao Laurentii amicitiæ fœdere iungitur.	F. XIII, 6.
	Die 6 Octobris, a Clemente VI P. M. prioratum obtinet S. Nicolai de Miliarino, in Diœcesi Pisana.	Regest. Clem. Pp. VI. — De Sadius T. II, p. 47.
	Venit in familiaritatem Cardinalis Albensis, artis poeticæ quam maxime studiosi.	Ep. Poet. II, 2, 3, 4. Notæ 1, XIII, 7, XIII.
	Curat ut Barlaamus ad Episcopatum evehatur, et studium græcæ linguæ derelinquit.	F. XXIV, 12. Nota 2, XVIII.
	Ad fontem Sorgiæ solitariam vitam ducit, frequentius tamen Avenionem invisens.	
	Scribit Dialogum cum S. Augustino, quem Secretum suum dicit: itemque Italica carmina: *O bella man - Non pur quell' uno - Mia ventura - D' un bel chiaro.*	Dial. De Contemptu Mundi. Fragm. edita ab Ubaldino.
1343.	Filiam naturalem, nomine Franciscam, poeta suscipit.	Nota 17, VII.
	Orator Clementis VI P. M. ad Iohannam Reginam Siciliæ, Franciscus Neapolim proficiscitur.	Notæ 1, 2, V.
	Naufragium passus prope Nicæam, terra iter prosequitur: die 4 Octobris, Romam pervenit: inde die sexta mensis eiusdem, Stephano Columna seniore comitante, Prænestem adit, et a Iohanne Columna hospitio excipitur.	Sen. XV, 7. F. V, 3.
	Die 12 Octobr. Neapolim pervenit: ibique Iohannis Pipini Comitis Minorbini, Aloisii Comitis Potentiæ, et Petri Comitis Vicani et Nucerini vincula dissolvenda enixe curat.	Notæ 3, 6, V.
	Iohanne Barilio et Barbato Sulmonensi comitibus, per vicinia Neapolis excurrit.	F. V, 4. Nota 8, IV.
	Barbato enixius postulanti morem gerens, sinit eum triginta quatuor Africæ suæ versus sibi transcribere.	Sen. XV, 1. Notæ 2, XXII, et Var. 22.
	Die 25 Novembris, Iohanna Regina Siciliæ Franciscum a sacris domus regiæ, honoris, causa renunciat.	Tomasin. Petrarc. Rediviv.
	Falsus de morte Francisci per Italiam rumor invalescit.	Sen. III, 6. Nota 17, XVI.
	Sub exitum Decembris mensis, Neapoli relicta, Parmam petit.	De Sad. T. 2, p. 182.
1344.	Malis Italiæ commotus, iisque præsertim quæ ex *Magnæ Societatis* rapacitate et sævitia inferuntur, carmen scribit: *Italia mia, benchè il parlar sia indarno.*	De Sad. T. 2, p. 187.
	Ad hunc annum probabilius referenda videtur emptio domus, de qua sup. ad annum 1341.	Nota 9, IV.
	Die 23 Februarii. Parma ab hostibus obsessa se proripit,	Fam. V, 10. Notæ 6, 10, V, 9, VI. 1, VII.

cum Vicecomitibus, Scaligeris, Pepolis, et Carrariensibus, bellum Obizzoni Estensi ob male partum Parmæ dominium indicunt.

1345. Andreas Hungaricus, vir Iohannæ reginæ Siciliæ, mala cæde mulctatur die 18 Septembris. Nota 5, VI.

Die 23 Decembris, Philippus Episcopus Cavallicensis, regni procuratione dimissa, Neapolim linquit et maritimo itinere in Gallias redit, pervenitque Avenionem, mense Ianuario. Nota 8, VI.

1346. Die 11 Iulii, Carolus IV Luceburgensis Romanorum Imperator Avenione renunciatur. Nota 1, XVIII.

Luchinus Vicecomes Parmæ dominium ab Obizzone Estensi pecunia redimit, et civitati regundæ Paganinum Besozzium Mediolanensem præficit. Rer. It. Script. T. 12, fol. 746.

1347. Die 20 Maii. Nicolaus Laurentii Romanæ Reipublicæ administrationem capessit, et tribunicia populi potestate potitur. Vita Nicolai Tribuni.

Aloisius Hungariæ Rex, ad ulciscendam cædem Andreæ fratris sui, Regnum Neapolitanum invadit, et Sulmonem urbem obsidione cingit. Nota 1, VII.

Die 20 Novembris. Nicolaus Laurentii Tribunus Pop. Rom. partum sibi reipublicæ imperium armis asserit, hostes devincit, et de cæsis Columnensibus triumphat. Nota 13, VII.

Bertrandus Deucius Cardinalis a latere, legatus a Pontifice Maximo in Italiam. Vita Nicol. Tribuni.

Nicolaus Laurentii a populo victus, et tribunicia potestate exturbatus, latet per mensem, ac deinde clam Roma egressus, in Regnum Neapolitanum confugit. Ibid.

latronum insidias vix effugit, adversa cœli tempestate equo delapsus, cruris offensione laborat, noctem agit sub dio, inde prius ad Scandianum oppidum, postea Mutinam, Bononiam et Veronam se confert.

Veronæ Epistolas Ciceronis Familiares et ad Atticum repertas in lucem profert, et epistolam ipse M. Tullio Ciceroni scribit. — Nota 10, V.

Sub exitum anni huius, Verona discedit, eumque Guillelmus de Pastrengo Piscariam usque comitatur. Avenionem deinde repetit, unde alteras M. Tullio Ciceroni litteras scribit. — Notæ 10, V, 15, IX.

1345. Ad Sennuccium Del Bene mittit Italicum carmen, *Signor mio caro, ogni pensier.*

Iohannem filium suum litteris erudiendum Veronam mittit. — Notæ 17, VII, 15, IX.

1346. Carolus Luceburgensis Lauræ De Sade frontem et oculos observantiæ causa deosculatur. — Nota 1, XVIII.

Rus suum ad fontem Sorgiæ elegantiore cultu instaurandum curat. — Ep. Poet. III, 1.

Per ieiunium quadragenarium huius anni, libros de vita solitaria conscribere aggreditur. — Nota Var. 14.

Die 27 Octobris, Clemens VI P. M. litteris apostolicis Canonicatum Ecclesiæ Parmensis Francisco confert. — Nota 9, IV.

1347. Nicolai Tribuni partes sectatur Franciscus, eique carminibus et epistolis animos addit. — Nota 7, VII.

Clemens VI legitimi nati iura Iohanni, Francisci filio, impertitur. — Nota 17, VII.

Gerardum fratrem, in cœnobio Cartusianorum ad Montem Rivum, Franciscus invisit. — Notæ ad Litt. ad Post. et Var. 14.

Scribit tractatum : *De Ocio religiosorum.* — Ibid.

Die 20 Novembris, Italiam versus Franciscus e Gallia proficiscitur: Nicolai Tribuni fortunam pessum ire Lælii litteris, in itinere receptis, certior factus, Genuam die 25 mensis eiusdem cum pervenerit, ab incepto Romam eundi proposito desistit. — Notæ 1, 5, 7, VII.

Decembri mense, Parmensis Canonicatus possessionem adipiscitur. — Nota 9, IV.

Domum, Parmæ coemptam, instaurandam, et vitæ suæ commoditatibus aptandam curat. — Notæ 9, IV, 15, IX.

1348.	Magni terræ motus in Italia et in Germania.	Nota 15, VII.
	Nicolaus Acciaiolus Aloisium principem Tarentinum Avenionem adducit.	Nota 2, XII.
	Clemens VI P. M. Avenionis dominium a Iohanna regina Siciliæ octoginta mille florenorum pretio sibi comparat.	
	Memoranda pestis diffunditur quaquaversus, Avenione sævit, Italiam universam invadit, et luctibus complet.	Nota 3, X.
	Die 6 Aprilis, peste infecta obit diem supremum Laura.	Nota 9, II.
	Die 3 Iulii, Iohannes Columna, Cardinalis, peste conficitur.	Nota 3, I.
	Moritur Bononiæ Iohannes Andreæ Iurisconsultus.	Nota 15, IV.
	Philippinus Gonzaga, Vicecomitum, Scaligeri, et Estensium copias simul coniunctas profligat prope Burgumfortem.	Nota 8, VII.
1349.	Die 24 Ianuarii, obit Luchinus Vicecomes.	Nota 15, VII.
	Eodem anno, Robertus de Bardis Parisiis, Sennuccius Del Bene Florentiæ, moriuntur.	Notæ 4, IV, 9, VI
	Lucas Christianus et Mainardus Accursius in manus latronum incidunt, eorumque alter ab illis interficitur.	Nota 6, VIII.
	Parmæ obit Paganinus Besozzius.	Nota 7, VIII.
	Terra movet per Italiam, Roma ædificiorum ruinis vastatur.	F. 7, XI.
1350.	Romæ annus Iubilæi celebratur.	
	Annibaldus de Ceccano, Cardinalis Legatus, Romam adit, Iubilæi causa.	Nota 1, VI.
	Bellum inter Venetos et Genuenses.	Nota 8, XI.
	Die 29 Augusti, in sinu Euboico Venetorum classis de Genuensi triumphat.	Nota 8. XI,
	Nicolaum Laurentii, qui ad se confugerat, Carolus IV Imp. Archiepiscopo Pragensi in manus tradit: hic illum in vincula coniectum Avenionem mittit.	Nota 1, XXI.
	Iohannes Vicecomes, Mediolani dynasta, sex doctis viris Divinam Comœdiam Dantis Allighierii declarandam committit.	Nota 15, XXI.
	Die 21 Decembris, Iacobus Carrariensis a Guillelmo, fratris filio, nefarie interficitur.	Notæ 1, 3, XI.

1348. Die 25 Ianuarii, Franciscus Veronæ morabatur. Nota 15, VII.

Die 13 Martii, Verona Parmam redit et Iohannem puerum suum, Raynaldi schola abactum, Gilberto grammatico erudiendum commendat. Nota 17. VII.

Die 23 Martii, erat in itinere. Nota 10, VII.

Die 6 Aprilis. Dum Veronæ moratur, Lauræ mortem singulari animi sagacitate præsentit. Sonett. 211, 212, 213. — Trionfo della Morte, c. 2.

Die . . . Aprilis. Angitur ob mortem Francisci de Albizzis consanguinei sui, qui, dum eius visendi gratia iam Savonam pervenerat, ibi defunctus vita est. Notæ 2, 18, VII.

Die 19 Maii, ex litteris Socratis, Parmæ receptis, Lauram die 6 Aprilis decessisse novit. Nota 15, VII.

Ferrariam, Carpium, Patavium adit, ab earum civitatum dominis summo in honore habitus. Nota 15, VII.

1349. Die 26 Martii. Christiani et Accursii casus, huiusque mortem novit, et enixe deplorat. Notæ 2, 6, VIII.

Dum Mantuæ moratur, ad Virgilium scribit: Veronam petit: De Sad. T. 3, p. 41.

deinde Patavium, cuius Ecclesiæ, Iacobo Carrariensi curante, anno forsan anteacto Canonicus renunciatus fuerat. Nota 15, VII.

Parma Patavium Iohannem filium secum reducit. Nota 17, VII.

1350. Adstat solemni corporis S. Antonii translationi, quam die 14 Februarii, Guido Bononiensis Cardinalis Legatus, Patavii peragit. Nota 13, IX.

Primam ad Carolum IV Aug. epistolam mittit, eumque hortatur ut Romani Imperii dignitatem restituat. Nota 1, XVIII.

Die 12 Martii, erat Veronæ.

Guidoni Cardinali Legato, Padua proficiscenti, usque ad Benacum lacum se comitem adiungit. De Sad. T. 3, p. 73, 75.

Transit per Mantuam, et die 28 Iunii, Luceriæ per noctem subsistit, ubi more insolito cœnat. P. IX, 10. Nota 11, III.

Parmam redit, et Archidiaconi dignitatem nactus, die 20 Iunii, eius possessionem capit. Nota 9, IV.

Guillelmum de Pastrengo invitat, ut secum Romam Iubilæi causa proficiscatur. Ep. Poet. III, 34. Nota 13, IX.

Romam proficiscitur. Florentiæ aliquot diebus subsistit, domi Iohannis de Certaldo. Zanobium de Strata, Franciscum Nellium et Iacobum De Castiglionchio amicitiæ fœdere sibi iungit. Nota 1, XI.

Die 15 Octobris. Ictu equi prope Vulsinium crure laborat. P. 1, XI.

Romam pervenit. Inde ad M. Varronem epistolam scribit, et ineunte mense Decembri, Hetruriam versus digreditur. P. XXIV, 6.

Aretii cum honore exceptus: ibi Institutiones Oratorias Notæ 16, VII, et Var. 41.

1351. Moritur Martinus Scaliger. Murat. Annal.
Clemens IV Pont. Max. quatuor S. R. E. Cardinalibus Reipublicæ Romanæ reformandæ onus iniungit. Nota 16, XI.

1352. Auctore Pontifice Maximo, cum Rege Hungarico Iohanna Siciliæ regina, die 14 Ianuarii, in pacem restituitur: et Aloisius, Princeps Tarentinus, regni coronam suscipit. P. XII, 1.
Abbas Vallis Umbrosæ, qui Ubertinum Abbatem Cavannæ elegerat, mutato consilio, cuidam Guidoni munus illud defert. P. XII, 4, 5.
Die 1 Februarii. Obit Cardinalis Bertrandus Du Poyet. P. XII, 6.
Die 13 Februarii. Genuensium et Venetorum classes incerto exitu pugnant. Nota 5, XIV.
Clemens VI Pont. Max. graviter ægrotat. P. V, 19.
Philippus Episcopus Cavallicensis in Germaniam legatus mittitur. Nota 1, II.
Venetos et Genuenses in concordiam reducere frustra conatur Clemens VI P. M. Nota 5, XIV.
Nicolaus Laurentii captivus Avenionem adducitur. P. XIII, 6.
Die 6 Decembris. Moritur Clemens VI P. M. Nota 7, VII.
Die 18 Decembris. In eius locum Innocentius VI eligitur. Nota 1, XVI.

M. F. Quintiliani, haud tamen integras, reperit, eique statim epistolam scribit.
Florentiam in reditu ex Urbe revisit. — Nota 1, XI.
Per æstatem huius anni carminibus suis expoliendis operam navat. — De Sadius III, 77.

1351. Mense Ianuario Patavium redierat. — P. XI, 2.
Die 17 Martii. Andream Dandolum, ducem Venetorum, ad pacem cum Genuensibus ineundam hortatur. — Nota 8, XI.
Die 6 Aprilis. Litteris a Senatu et populo Florentino per Iohannem de Certaldo missis, revocatur ab exilio, et avitis bonis redintegratur. — Nota 1, XI.
Die 3 Maii. Patavio cum Iohanne filio proficiscitur, et stans pede in uno, dictat epitaphium Iacobi Carrariensis tumulo inscribendum. — Notæ 3, 6, XI.
Vicentiæ de Ciceronis ingenio et vita disputat. — P. XXIV, 2.
Veronæ aliquot diebus subsistit, ibique erat et Kalendis Iunii. — Nota 1, XI.
Die 21 Iunii, ad Montem Gebennæ pervenerat. — P. XI, 9.
Die 26 vel 27 Iunii, ad fontem Sorgiæ consistit. — P. XI, 10.
Die 16 Nov. Cardinales, Reip. Romanæ reformandæ præfecti, sententiam Francisci exquirunt, quam ipse pandit. — P. XI, 16, 17.

1352. Franciscus Ubertini negocia adversus Guidonem in Curia procurat. — P. XII, 4, 5.
Eum Nicolaus Acciaiolus Neapolim advocat. — Nota 2, XIX.
Die 13 Martii, ad Clementem VI P. M. ægrotantem epistolam mittit, quæ medicorum in eum simultates parit. — P. V, 19.
Angelum Acciaiolum, Episcopum Florentinum, ad fontem Sorgiæ prandio excipit. — P. XII, 12.
Iohannes, filius eius, Canonicus Ecclesiæ Veronensis renunciatur. Eum illuc mittit, Raynaldo et Gulielmo amicis suis commendans. — Notæ 17, VII, 15. IX.
Duo S. R. E. Cardinales, ut eligatur a secretis Pont. Max. enixe curant: is ex industria conatus eorum irritos reddit. — P. XIII, 5.
Genuenses ad pacem cum Venetis hortatur. — Nota 5, XIV.
Die 16 Novembris. Rure suo profectus, ut in Italiam rediret, adversa cœli tempestate in urbe Cavallicensi consistere coactus est. — P. XV, 2, 3
Cardinalis Albertus ad supremum Pontificatum nomine Innocentii VI evectus, alterius cardinalis insinuatione, Franciscum necromanticis artibus operam dare putat. — Nota 5, IX.

1353. Die 15 Februarii. Romæ, populus seditione commotus alterum ex Senatoribus lapidibus obruit. Alter, Stephanus Columna, fuga vitæ consulit. — Nota 1, XV.

Die 3 Augusti. Rex Aragoniæ bellum Genuensibus indicit. — Nota 5, XIV.

Die 29 Augusti. Classis Genuensium a Venetorum classe prope Sardiniam victa profligataque est. — Nota 4, XVII.

Genuenses se in potestatem tradunt Iohannis Vicecomitis Archiepiscopi et dynastæ Mediolanensis. — Nota 4, XVII.

Die 14 Septembris. Ægidius Albornozzius Cardinalis legatus Mediolanum ingreditur. — Nota Var. 56.

Die 10 Octobris. Iohannes Vicecomes Archiepiscopus dominium Genuæ auspicatur. — Nota 16, XVIII.

1354. Obit Andreas Dandolus Dux Venetiarum die 8 Septembris. — Nota 8, XI.

Die 3 Octobris. Obit Iohannes Vicecomes Archiepiscopus, idemque Dynasta Mediolanensis. — Nota 16, XVIII.

Nicolaus Laurentii, tribunicia potestate deiectus, a populo romano interficitur. — Vita Nicolai Tri[bunitii]

Die 10 Novembris. Carolus IV Imp. Aug. Mantuam pervenit. — Nota 1, XIX.

Azo de Corrigia in suspicionem proditionis adductus a Mastino Scaligero, Verona expulsus, bonis omnibus multatur. — Nota 9, VII.

Die 4 Novembris. Venetorum classem Genuenses navali prælio superant penitusque conficiunt. — Nota 16, XVIII.

1355. Carolus IV. Imp. Aug. die 4 Ianuarii Mediolanum ingreditur, ibique ad S. Ambrosii, die 6 mensis eiusdem, ferrea corona præcingitur. — Nota 3, XIX.

Die 4 Aprilis. Idem Romani Imperii corona in Urbe donatur. — Nota 3, XIX.

Die 18 Aprilis. Obtruncatur capite Marinus Falierus Dux Venetorum. — Nota 8, XIX.

Die 15 Maii. Zanobius de Strata lauro poetica, Pisis, a Carolo IV. Imp. Aug. redimitur. — Notæ 1, XI, 2,

Die 1 Iunii. Pax inita inter Venetos et Genuenses. — Nota 16, XVIII

Die 12 Iunii. Carolus IV Imp. Aug. in Germaniam proficiscitur. — Notæ 12, 18, X

1356. Terræ motu Basilæa pene evertitur. — Nota 12, XIX.

Ægidius Albornozzius Cardinalis, Pontificis Max. Legatus, Forum Livii ab Ordelaffiis occupatum obsidione cingit. — Nota 4, XXI.

1353.	Moritur Raymundus Monetius servus Petrarcæ fidelissimus.	F. XVI, 1. De Sad. T. 3, p. 281.
	Die 19 Aprilis. Gerardum fratrem suum in cœnobio Montis Rivi visum se confert.	Nota Var. 14.
	Mense Maio. In Italiam proficiscitur.	Ep. Poet. III, 24.
	Iohannes Vicecomes Archiepiscopus, idemque Dynasta Mediolanensis, hac in urbe Franciscum subsistere cogit.	Notæ 15, VII. 15, XIX.
	Die 14 Septembris. In occursu Cardinalis Legati vita periclitatur.	Notæ 15, VII. Var. 56.
	Pro Iohanne Vicecomite Archiepiscopo et Dynasta Mediolanensi Legatione ad Venetos fungitur.	Notæ 15, VII. 16, XVIII.
	Die 20 Octobris. Rusticatur ad S. Columbanum.	Nota 5, XVIII.
	Die 25 Decembris. Fures domum eius ad fontem Sorgiæ invadunt, diripiunt et incendio vastant.	Sen. X, 2. Var. 25. Nota 16, V.
1354.	Homeri poemata a Nicolao Sygero dono accipit.	Nota 2, XVIII.
	Publicam Mediolani concionem habet eo die quo fratres Vicecomites hereditarium imperium auspicantur.	Sen. III, 1. Nota 15, VII.
	Marcum Barnabæ Vicecomitis filium sacro fonti admovet.	Ep. Poet. III, 29.
	Collatum sibi Ecclesiæ Mutinensis Canonicatum Lucæ Christiano concedit.	Nota 4, XIV.
	Qua valuit apud Scaligeros gratiam amittit, et Iohannes filius eius Ecclesiæ Veronensis Canonicatum dimittere cogitur.	Nota 17, VII.
	Die 9 Decembris. Accersitus a Carolo IV Imp. Aug. Mantuam adit, ibique per hebdomadam moratus, a Cæsare, cum legatis Mediolanensibus pacis conditiones ineunte, testis adhibetur.	Notæ 1, 8, XIX.
	Die 24 Decembris. Mediolanum redit.	
1355.	Carolo IV Mediolano proficiscenti Placentiam usque se itineris comitem adiungit.	F. XIX, 3.
	Integro mense Septembri tertiana febri laborat.	Notæ 15, IX. 12, XIX.
	Scribit *Invectivas* in medicum.	Nota 19, V.
1356.	Pandulpho Malatestæ amicitiæ fœdere iungitur.	Nota 1, XXII.
	Die 20 Maii. Galeatii Vicecomitis Ducis Mediolanensis legatione fungens, Sacramoro comite, Pragam proficisci-	Notæ 15, VII. 12, XIX.

Infelici prælio prope Pictavium, die 12 Septembris, victus ab Anglis Iohannes rex Galliarum una cum filio in hostium servitutem redigitur. Nota Var. 6.

Iohannis Vicecomitis præsidio depulso, Genuenses in libertatem se vindicant. Nota 16, XVIII

1357. Philippus de Cabassoles, Episcopus Cavallicensis, Legationem Pontificis Maximi in Germania obit. Nota 1, II.

Iacobus Bussolarius, sodalis Augustinianus, Ticini tyrannidem exercet. Nota 17, XIX.

Benintendius ad regem Hungaricum reip. Venet. legatus pro pace proficiscitur, et coram eo *propositum* habet, quod inter Francisci opera editum est. Nota 11, XIX.

1359. Mense Maio. Anna, Caroli IV Aug. coniux, se filiam peperisse F. Petrarcæ nunciat. Nota 8, XXI

Philippus de Cabassoles Ep. Cavallicensis, Legatus. Pont. Max. in Germaniam iterum proficiscitur. Nota 5, XXII.

Guido Septimus Archiepiscopus Genuensium renunciatur. Nota 16, V.

1360. Leontius Pilatus græcas litteras Florentiæ docet, et Homeri latinam versionem aggreditur. Nota 2, XVIII.

Galeatius Vicecomes, pulso Iacobo Bussolario, Ticinum occupat et urbem novis ædificiis exornat. Sen. V, 1. Nota XIX.

Mense Octobri. Iohannes Galeatius Vicecomes Elisabetham, Gallorum Regis filiam, uxorem ducit. Nota 13, XXII. 6.

Bretiniacæ pax a Gallis cum Anglis inita: Iohannes rex libertate donatur.

tur ad Carolum IV Imp. Aug., eoque in munere obeundo tres menses absumit.
Mense Iulio. Pragam pervenit. — Nota 12, XIX.
Ineunte mense Septembri, Mediolani aderat. — Nota 12, XIX.

1357. A Carolo IV Imp. Aug. Comitis Palatini dignitate honestatur. — Nota 2, XXI.
Socratem et Lælium, dissidentes mutuo, reconciliat. — Notæ 12, 14, XX.
Suburbanam Linterni domum, rustica vita delectatus, in agro Mediolanensi per æstatem inhabitat. — Nota 16, XIX.
Scribit epitaphium Andreæ Dandoli. — Var. 10.
Iohannis adolescentis sui ignaviam et vitia deplorat. — Nota 17, VII.
Galeatio Vicecomiti morem gerens, Iacobum Bussolarium hortatur ut Ticinensium dominationem deponat. — Nota 17, XIX.

1358. Incipit tractatum De remediis utriusque fortunæ. — Nota 9, IV.
Codex epistolarum M. Tullii Ciceronis se casu in crus eius impingit et illud gravi vulnere afficit. — Nota 10, XXI.
Die 13 Octobris. Desiderio Henrici Capræ obsequens Bergomum adit. — F. XXI, 11.
Moram hyemalem inter Venetias et Patavium dividit.

1359. Iohannes de Certaldo eum visum Mediolanum advenit. — Nota 1, XI.
Quamplurima ex scriptis suis igne comburit: epistolas de rebus familiaribus certo ordine componit. — Nota 6, XX, et Præf. ad Socrat.
A Iohanne de Certaldo Dantis Allighierii poema dono accipit. — Notæ 1, XI. 15, XXI.
In locum accitus Francisci Neapolitani, qui ab epistolis erat Pontificis Maximi, oblatum sibi munus respuit. — Nota 4, XIII.
Dum apud Linternum poeta rusticatur, fures domestici domum eius Mediolani expilant. — Notæ 17, VII. 16, XXII.
In suspicionem sceleris adductus, Iohannes filius eius domo eiicitur. — Ibid.
Ad cœnobium S. Simpliciani suum domicilium transfert. — Nota 12, XXI.

1360. Nicolaus Acciaiolus magnus regni Siculi senescallus Mediolani poetam officiose salutatum adit. — F. 6, XXII.
Decembri mense. Orator Galeatii Vicecomitis, Parisios se confert, ut regi Anglorum servitute liberato gratuletur. — Notæ 15, VII. 13, XXII.

1361. Exercitus, magnæ societatis nomine dictus, Avenionem obsidet, inde in Italiam contendens, Mediolanum adpropinquat. — Nota 1, XXIII.
Pestis Mediolanum invadit, ibique late grassatur. — Ibid.
Philippus Episcopus Cavallicensis Patriarcha Hierosolymitanus renunciatur. — Notæ 1, II.
Mense Maio. Obit Socrates, Avenione. — Nota 15, VII.

1362. Pontifex Max. cum Dynastis Veronensi, Ferrariensi, et Patavino, adversus Vicecomites, fœdus init. — Io. Vill. X, 96.
Moritur Azo de Corrigia. — Notæ 9, IV. Var.
Moritur Ludovicus Tarentinus Rex.
Die 12 Septembris obit Innocentius VI P. M. et in locum eius Urbanus V. Octobri mense sufficitur.

1363. Mors Lælii. — Nota 20, III.
Mors Francisci Nelli, seu Simonidis. — Nota 7, XVIII.
Mors Marci Barbati Sulmonensis. — Nota 8, IV.
Bellum Venetorum in Cretenses. — Sen. III, 8. Nota XII.

1364. Mense Iunio. Cretenses a Venetis fusi, profligati. — Sen. IV, 2. Nota XII.
Pax inter Romanum Pontificem et Barnabam Vicecomitem. — Ann. Ital.
Androinus De la Roche Cardinalis, Legatus in Italiam. — Ibid.

1365. Florentini ut Franciscum Petrarcam in civitatem suam — Archiv. Reip. [illegible] Scipio Amm[illegible] tus T. I, l. [illegible]

1361. E Gallia redux Mediolanum mense Martio pervenit. Nota 13, XXII.
Aureum craterem a Carolo IV Imp. dono recipit. F. XXIII, 8.
Die 8 Augusti. De morte Socratis nuncium accipit. Nota 15, VII.
Mense Iulio. Relicto Mediolano, Patavium petit. Sen. I, 3.
Die 10 Iulii. Peste correptus, obit Mediolani Iohannes filius eius. Notæ 15, 17, VII.
Franciscæ natæ nuptias conciliat cum Francisco de Brossano. Nota 17. VII.
Munus Secretarii Apostolici a Card. Talarando sibi oblatum iterum respuit. Sen. I, 3 Nota 4, XIII.

1362. Patavio digressus die 10 Ianuarii, Mediolanum petit rediturus in Gallias. Sen. I, 3.
Accersitus ab Imperatore in Germaniam iter eo versus mense Maio aggreditur: sed belli difficultatibus obstantibus, ab incepto desistit, et Patavium redit. Nota 1, XI. Sen. I, 3
Mense Iunio. Peste nimium sæviente, Patavium linquit, et Venetias se confert. Nota 11, XIX.
Die 4 Septembris. Bibliothecæ suæ partem donationis titulo Reipublicæ Venetorum profert, quæ gratiam referens, domum utendam fruendam ipsi concedit. Nota Var. 43.
Ex Francisca filia Electam neptem suscipit. Nota 17, VII.
Oblatum iterum Secretarii Apostolici munus repudiat. Sen. II, 2. Nota 14, XX.

1363. Iohannem de Certaldo et Leontium Pilatum, amicitiæ causa ad eum advenientes, hospitio familiari Venetiis excipit, et tribus mensibus secum domi habet. Notæ 1, XI. 2, XVIII.
Morem gerens Duci Venetiarum, Luchinum de Verme, fortissimum imperatorem, ad bellum in Cretenses gerendum adhortatur. Notæ 11, XII. Var. 50.

1364. Incipit hoc anno in urbe Ticino penes Galeatium Vicecomitem æstatem agere. Sen. V, 1.
Bononiam adit, Androinum Cardinalem Legatum visendi gratia: et Patavium circa Pascha revertitur. F. 16, V. Sen. X, 5.
Mense Maio Venetias repetit: ibique Bartholomæum Papazzurrium Ep. Theatinum amicum suum hospitio recipit. Nota 11, XII.
Scribit — De officio et virtutibus imperatoris.
Ludis et spectaculis, ob victoriam de Cretensibus partam Venetiis editis, e suggestu ad dexteram Ducis Venetiarum honoris causa adstat. Sen. IV, 3
Quadragenarium ieiunium et Pascha Patavii de more celebrat.

1365. Falsus de morte eius rumor vulgatur, quo fit ut Pontifex Sen. IX, 2.

allicant, Pontificem Maximum exorant, ut Canonicatum in eorum vel in Fæsulana Ecclesia concedat.
Pontifex Carpentoractensem Canonicum Franciscum renunciat. — Scip. Ammirat. I, 1

1366. Die 25 Octobris. Moritur Nicolaus Acciaiolus magnus regni neapolitani senescallus. — Nota 2, XII.

1367. Die 30 Aprilis. Urbanus V Pont. Max. Avenione proficiscitur: Ad d. 9 Iunii Viterbium, et sub exitum mensis eiusdem, Romam pervenit. — Nota Var. 3.
Die 24 Augusti. Obit Viterbii Ægidius Albornozzius Card. Ep. Sabinensis, Legatione Italica præclarissime functus. — Nota Var. 56.

1368. Iohannes de Certaldo, Franciscum invisurus, Venetias adit, dum ille Ticini moratur. — Nota 1, XI.
Philippus de Cabassoles Patriarcha Hierosolymitanus Ecclesiæ Massiliensis administrator dicitur: dein, die 22 Dec. in Patrum Cardinalium Senatum, titulo Petro et Marcellino, adsciscitur. — Nota 1, II.
Die 15 Iunii. Nuptiæ inter Violantem Galeatii Vicecomitis filiam, et Lionellum ducem Clarentiæ, Mediolani celebrantur. — Notæ 15, 17, VII
Moritur Guido Septimus, Archiepiscopus Genuensium. — Nota 16, V.
Coluccius Salutatus Francisco Bruno, Secretario Apostolico, comes adiungitur. — Sen. XI, 2. Nota XXIII.

1369. Urbanus V Pont. Max. Petrarcam hortatur, ut Romam se conferat. — Sen. XI, 16. Nota XII.

1370. Roma, die 24 Septembris, digressus Urbanus V Pont. Max., Avenionem repetit, quo vix dum pervenit, die 19 Decembris, mortem oppetit. — Nota Var. 3.
Gregorius XI Pont. Max. eligitur.

Maximus beneficia ab eo possessa et nuper collatum canonicatum Carpentoracti, uti vacantia, aliis conferat.
Molestissima scabie laborat. Sen. III, 5.
Homeri libros impensa sua latine redditos in bibliotheca reponit. Nota 2, XVIII.
Æstatem et autumnum Ticini agit.

1366. Die 24 Ianuarii. Venetias redit.
Ex Francisca filia Franciscum nepotem, mense Februario, suscipit. Nota 17, VII.
Mittit ad Philippum De Cabassolcs, Patriarcham Hierosolymitanum, librum — De Vita Solitaria. Nota Var. 14.
Absolvit tractatum — De remediis utriusque fortunæ. Nota 9, IV.
Quatuor insanorum iuvenum sententia, Venetiis prolata, Franciscus Petrarca vir bonus, sed indoctus, renunciatur. Nota 11, V. Nota 12, V.
Stephanus Columna eum rure prope Mediolanum invisit. Sen. IX, 2.

1367. Adolescens Ravennas, ab eo exceptus, eique carissimus, domo eius excedit. Nota 19, XXIII.
De more, Ticinum, æstivo tempore, Patavium per ieiunium quadragenarium et Paschatis dies festos, inhabitat. — Incipit librum — De sui ipsius et multorum ignorantia. Sen. XV, 8.

1368. A Galeatio Vicecomite Ticinum advocatur, ut de pace, ab eo cum Ecclesia ineunda, cum Anglico Cardinali rem habeat; Patavio die 25 Maii profectus, Ticinum die 29 pervenit. Dein Mediolanum petit, ubi in nuptiis Violantis Galeatii filiæ cum Lionello duce Clarentiæ, ad mensam cum principibus viris assidet. Nota 15, 17, VII.
Die 18 Iunii. Franciscus infans, Petrarcæ ex filia nepos, obit Ticini. Nota 17, VII. Sen. X, 4.
Mense Iulio. Navigio per Padum vectus, Ticino Patavium repetens, per armatos hostes sospes incolumisque pertransit. Sen. XI, 2.

1369. Iura Thomæ De Farignano, Summi Magistri fratrum franciscalium, apud Pontificem Maximum tuetur. Sen. XI, 10, 15.
Rusticatur Arquadæ apud Sodales Augustinianos. Sen. XI, 14.

1370. Romam profecturus, testamentum suum condit die 4 Aprilis. Sen. XI, 16, 17.
Vix iter aggressus, Ferrariæ in morbum incidit, et de morte eius vulgatur fama. Sen. XI, 16, 17.
Arquadam mansum venit. Sen. XI, 16, 17.

1371. Gregorius XI Pont. Max. ad Franciscum Petrarcam litteras mittit humanissimas, eumque peculiaribus amoris significationibus prosequitur. Nota 20, XXII

Philippus Cardinalis Sabinensis Legatus in Umbriam mittitur. Nota 1, II

Decembri mense. Respublica Venetorum Francisco Carrariensi bellum indicit. Nota 17, XII.

1372. Die 26 Augusti. Obit Perusiæ Philippus De Cabassoles, Cardinalis Episcopus Sabinensis. Nota 1, II.

Bellum inter Venetos et Franciscum Carrariensem, Patavii Dynastam. Annal. Ital.

1373. Franciscus Carrariensis, Patavii Dynasta, pacem a Venetis obtinet, ea tamen lege ut apud Senatum illius Reipublicæ culpam suam excusatione purget. Qua de re Franciscum filium suum Venetias mittit, eique Petrarcam infelicis legationis comitem adiungit. Murator. Scr. Ital. T. p. 751.

Absolvit librum — De sui ipsius et multorum ignorantia. Nota 11, V.
Per totam æstatem ægrotat. De Sad. III, 761.

1371. Adversa licet valetudine laborans, Francisco Carrariensi se comitem adiungit, unaque cum eo Bononiam petit ad parentalia Urbani V Pont. Max. die 3 Ianuarii celebranda. De Sad. III, 761.

Die 7 Maii. Lethali morbo corripitur ex quo, secus autumantibus medicis, eorumque præscripta despiciens, sospes evadit. De Sad. III, 778

Philippum Cardinalem Sabinensem invisurus, Perusiam versus iter aggressus, equo cum insidere nequiret, destitit ab incepto. Var. 65

1372. Hostium excursionibus territus, rusticum Arquadæ domicilium deserit et Patavium repetit. Sen. XIII, 10.

Pandulphus Malatesta hospitium illi in urbe Pisauro apud se liberaliter defert. Notæ Var. 9, 31.

Scribit *Invectivam* in Gallum. Nota Var. 3.

1373. Die 27 Septembris. Comes legationis Francisco Carrariensi datus, Senatum Reipubl. Venetæ eloquentissima oratione alloquitur. De Sad. III, 742. Muratur. Rer. Ital. Script. T. XIX, p. 731.

Librum De Republica optime administranda Francisco Carrariensi inscribit.

1374. Iohannis de Certaldo Decameron nunc primum novit, et unam ex historiis eius latine vertit. Sen. ult.

Epitomen Vitarum Virorum illustrium scribere aggreditur, morte tamen interceptus, absolvere nequit. Nota 8, VIII.

Die 20 Iulii. Terrenam hanc cum immortali vita commutat. Nota 8, VIII.

Hæc habui quæ de Francisco Petrarca eiusque epistolis tecum, humanissime lector, communicarem.

. . . . Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Dabam Firmo in Piceno, Kal. Martiis anni MDCCCLVIII.

IOSEPHUS FRACASSETTUS.

EPISTOLARUM FR. PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS ET VARIARUM

DISTINCTIO

QUA EDITÆ VEL INEDITÆ.

Epistolarum Libri.	Vulgatæ in veteribus editionibus.	Vulgatæ ab uno Samuele Crispino.	Vulgatæ singillatim in aliis operibus	Usque adhuc ineditæ.	Numerus Epistolarum omnium.
De Reb. Famil.					
I.	11	.....	.....	.....	11
II.	15	.....	.....	.....	15
III.	22	.....	.....	.....	22
IV.	19	.....	.....	.....	19
V.	19	.....	.....	.....	19
VI.	9	.....	.....	.....	9
VII.	18	.....	.....	.....	18
VIII.	8	.....	.....	.....	8
IX.	3	.....	.....	13	16
X.	2	.....	.....	4	6
XI.	3	.....	3	11	17
XII.	1	.....	1	16	18
XIII.	.....	.....	.....	11	11
XIV.	.....	.....	.....	8	8
XV.	1	.....	.....	13	14
XVI.	1	.....	.....	13	14
XVII.	.....	.....	.....	10	10
XVIII.	.....	16	.....	.....	16
XIX.	.....	18	.....	.....	18
XX.	.....	15	.....	.....	15
XXI.	.....	12	.....	3	15
XXII.	1	.....	.....	13	14
XXIII.	1	7	1	12	21
XXIV.	7	5	.....	1	13
Variarum.	19	.....	11	35	65
	160	73	16	163	412

FRANCISCUS PETRARCA POSTERITATI

SALUTEM.

Fuerit tibi forsan de me aliquid auditum (quanquam et hoc dubium sit, an exiguum et obscurum longe nomen seu locorum seu temporum perventurum sit), et illud forsitan optabis, nosse quid hominis fuerim, aut quis operum exitus meorum, eorum maxime quorum ad te fama pervenerit, vel quorum tenue nomen audieris. Et de primo quidem variæ erunt hominum voces; ita enim ferme quisque loquitur, ut impellit non veritas sed voluptas: nec laudis, nec infamiæ modus est. Vestro de grege unus fui autem mortalis homuncio, nec magnæ admodum nec vilis originis. Familia (ut de se ait Augustus Cæsar) antiqua. Natura quidem, non iniquo, neque inverecundo animo, nisi ei consuetudo contagiosa nocuisset. Adolescentia me fefellit, iuventa corripuit, senecta autem correxit, experimentoque perdocuit verum illud, quod diu ante perlegeram: quoniam adolescentia et voluptas vana sunt: imo ætatum temporumque omnium conditor, qui miseros mortales de nihilo tumidos aberrare sinit interdum, ut peccatorum suorum vel sero memores, sese cognoscant. Corpus iuveni, non magnarum virium, sed multæ dexteritatis obtigerat; forma non glorior excellenti, sed quæ placere viridioribus annis posset: colore vivido,

inter candidum et subnigrum, vivacibus oculis et visu per longum tempus acerrimo, qui præter spem, supra sexagesimum ætatis annum me destituit, ut indignanti mihi ad ocularium confugiendum esset auxilium. Tota ætate sanissimum corpus senectus invasit, et solita morborum acie circumvenit. Honestis parentibus, Florentinis origine, fortuna mediocri et (ut verum fatear) ad inopiam vergente, sed patria pulsis, Aretii in exilio natus sum, anno huius ætatis ultimæ, quæ a Christo incipit, M.CCC.IIII. die Lunæ, ad auroram XIII. Cal. Augusti. Divitiarum contemptor eximius, non quod divitias non optarem, sed labores curasque oderam, opum comites inseparabiles. Non ut ista cura esset (*sic*), lautarum facultas epularum: ego autem tenui victu et cibis vulgaribus vitam egi lætius quam cum exquisitissimis dapibus omnes Apicii successores. Convivia quæ dicuntur (cum sint commessationes modestiæ et bonis moribus inimicæ) semper mihi displicuerunt; laboriosum et inutile ratus sum ad hunc finem vocare alios, nec minus ab aliis vocari. Convivere autem cum amicis adeo iucundum, ut eorum superventu nil gratius habuerim, nec unquam volens, sine socio cibum sumpserim. Nihil mihi magis quam pompa displicet, non solum quia mala et humilitati contraria, sed quia difficilis et quieti adversa est. Amore acerrimo, sed unico et honesto, in adolescentia laboravi, et diutius laborassem, nisi iam tepescentem ignem mors acerba, sed utilis, extinxisset. Libidinum me prorsus expertem dicere posse optarem quidem; sed, si dicam, mentiar; hoc secure dixerim, me, quanquam fervore aetatis et complexionis ad id raptum, vilitatem illam tamen semper animo execratum.

Mox vero ad quadragesimum annum appropinquans, dum adhuc et caloris satis esset et virium, non solum factum illud obscœnum, sed eius memoriam omnem sic abieci, quasi nunquam fœminam aspexissem: quod inter primas felicitates meas memoro, Deo gratias agens, qui me adhuc integrum et vigentem, tam vili et mihi semper odioso servitio liberavit. Sed ad alia procedo. Sensi superbiam, in aliis, non in me, et cum parvus fuerim, semper minor iudicio meo fui. Ira mea mihi persæpe nocuit, aliis nunquam. Amicitiarum appetentissimus honestarum, et fidelissimus cultor fui. Intrepide glorior, quia scio me verum loqui. Indignantissimi animi, sed offensarum obliviosissimi, beneficiorum permemoris. Principum ac regum familiaritatibus et nobilium amicitiis usque ad invidiam fortunatus fui. Sed hoc est supplicium senescentium, ut suorum sæpissime mortes fleant. Maximi regum meæ ætatis amarunt et coluerunt me; cur autem nescio: ipsi viderint; et ita cum quibusdam fui, ut ipsi quodammodo mecum essent, et eminentiæ eorum nullum tædium, commodà multa perceperim. Multos tamen eorum quos valde amabam effugi; tantus fuit mihi insitus amor libertatis, ut cuius vel nomen ipsum libertati illi esse contrarium videretur, omni studio declinarem. Ingenio fui æquo potius quam acuto, ad omne bonum et salubre studium apto, sed ad moralem præcipue philosophiam et ad poeticam prono. Quam ipsam processu temporis neglexi, sacris litteris delectatus, in quibus sensi dulcedinem abditam, quam aliquando contempseram, poeticis litteris nonnisi ad ornatum reservatis. Incubui unice inter multa ad notitiam vetustatis, quoniam

mihi semper ætas ista displicuit, ut nisi me amor carorum in diversum traheret, qualibet ætate natus esse semper optaverim, et hanc oblivisci, nisus animo me aliis semper inserere. Historicis itaque delectatus sum, non minus tamen offensus eorum discordia; secutus in dubio quo me vel verisimilitudo rerum, vel scribentium traxit auctoritas. Eloquio, ut quidam dixerunt, claro ac potenti; ut mihi visum est, fragili et obscuro: neque vero in communi sermone cum amicis aut familiaribus eloquentiæ unquam cura me attigit; mirorque eam curam Augustum Cæsarem accepisse. Ubi autem res ipsa vel locus vel auditor aliter poscere visus est, paulo annisus sum, idque quam efficaciter nescio; eorum sit iudicium coram quibus dixi. Ego, modo bene vixissem, qualiter dixissem parvi facerem. Ventosa gloria est, de solo verborum splendore famam quærere. Tempus mecum sic vel fortuna vel voluntas mea nunc usque partita est. Primum illum vitæ annum, neque integrum, Aretii egi, ubi in lucem natura me protulerat; sex sequentes Ancisæ paterno in rure supra Florentiam quatuordecim passuum millibus. Revocata ab exilio genitrice, octavum Pisis, nonum ac deinceps in Gallia Transalpina ad lævam Rhodani ripam; Avinio urbi nomen, ubi Romanus Pontifex turpi in exilio Christi tenet ecclesiam, et tenuit diu; licet ante paucos annos Urbanus V eam reduxisse videretur in suam sedem. Sed res, ut patet, in nihilum rediit, ipso, quod gravius fero, tunc etiam superstite, et quasi boni operis pœnitente. Qui si modicum plus vixisset, haud dubie sensisset quid mihi de eius abitu videretur. Iam calamus erat in manibus; sed ipse confestim gloriosum principium ipsum cum

vita destituit: infelix! quum feliciter ante Petri aram mori et in domo propria potuisset. Sive enim successores eius in sua sede mansissent, et ipse boni operis auctor erat; sive abiissent, et tanto ipsius clarior virtus quanto illorum culpa conspectior. Sed hæc longior atque incidens est querela. Ibi igitur ventosissimi amnis ad ripam pueritiam sub parentibus, ac deinde sub vanitatibus meis adolescentiam totam egi, non tamen sine magnis digressionibus. Namque hoc tempore Carpentoras civitas parva et illi ad orientem proxima, quadriennio integro me habuit, inque his duabus aliquantulum Grammaticæ, Dialecticæ ac Rhetoricæ quantum ætas potuit didici, quantum scilicet in scholis disci solet, quod quantulum sit, carissime lector, intelligis. Inde ad Montem Pessulanum legum ad studium profectus, quadriennium ibi alterum; inde Bononiam, et ibi triennium expendi, et totum Iuris Civilis corpus audivi, futurus magni profectus adolescens, ut multi opinabantur, si cœpto insisterem; ego vero studium illud omne destitui. Mox, ut me parentum cura destituit, non quia legum mihi non placeret auctoritas, quæ absque dubio magna est, et Romanæ antiquitatis plena, qua delector, sed quia earum usus nequitia hominum depravatur; itaque piguit perdiscere, quo inhoneste uti nollem et honeste vix possem, et si vellem, puritas inscitiæ tribuenda esset. Itaque secundum et vigesimum annum agens domum redii: domum voco Avinionense illud exilium, ubi ab infantiæ meæ fine fueram. Habet enim consuetudo proximam vim naturæ. Ibi ergo iam nosci ego, et familiaritas mea a magnis viris expeti cœperat: cur autem, nescire nunc me fateor

et mirari; tunc equidem non mirabar, ut qui mihi, more ætatis, omni honore dignissimus viderer. Ante alios expetitus fui a Columnensium clara et generosa familia, quæ tunc Romanam curiam frequentabat, dicam melius, illustrabat: a quibus accitus et mihi, nescio an et nunc, at tunc certe indebito, in honore habitus ab illustri et incomparabili viro Iacobo de Columna Lomberiensi tunc Episcopo, cui nescio an parem viderim seu visurus sim, in Vasconiam ductus, sub collibus Pyrenæis æstatem prope cœlestem, multa et domini et comitum iucunditate transegi, ut semper tempus illud memorando suspirem. Inde rediens, sub fratre eius Iohanne de Columna Cardinali multos per annos non quasi sub domino, sed sub patre, imo ne id quidem, sed cum fratre amantissimo, imo mecum et propria mea in domo fui. Quo tempore iuvenilis me impulit appetitus ut et Gallias et Germaniam peragrarem: et licet aliæ causæ fingerentur ut profectionem meam meis maioribus approbarem, vera tamen causa erat, multa videndi ardor ac studium. In qua peregrinatione Parisios primum vidi, et delectatus sum inquirere quid verum quidve fabulosum de illa urbe narraretur. Inde reversus, Romam adii cuius videndæ desiderio ab infantia ardebam; et huius familiæ magnanimum genitorem Stephanum de Columna virum cuilibet antiquorum parem ita colui, atque ita sibi acceptus fui, ut inter me et quemlibet filiorum nil diceres interesse. Qui viri excellentis amor et affectus usque ad vitæ eius extremum uno erga me semper tenore permansit, et in me nunc etiam vivit, neque unquam desinet nisi ego ante desiero. Inde etiam reversus, cum omnium.

sed in primis illius tædiosissimæ urbis fastidium atque odium naturaliter animo meo insitum ferre non possem, diverticulum aliquod quasi portum quærens, reperii Vallem perexiguam sed solitariam atque amœnam, quæ Clausa dicitur, quindecim passuum millibus ab Avinione distantem, ubi fontium rex omnium Sorga oritur. Captus loci dulcedine, libellos meos et meipsum illuc transtuli. Longa erit historia si pergam exequi quid ibi multos ac multos egerim per annos. Hæc est summa, quod quidquid fere opusculorum mihi excidit, ibi vel actum, vel cœptum, vel conceptum est, quæ tam multa fuerunt ut usque ad hanc ætatem me exerceant ac fatigent. Fuit enim mihi ut corpus sic ingenium magis pollens dexteritate quam viribus. Itaque multa mihi facilia cogitatu, quæ executione difficilia prætermisi. Hic mihi ipsa locorum facies suggessit ut Bucolicum Carmen, silvestre opus, aggrederer, et Vitæ Solitariæ libros duos ad Philippum semper magnum virum sed parvum tunc Episcopum Cavallicensem, nunc magnum Sabinensem Episcopum Cardinalem, qui mihi iam solus omnium veterum superstes, non me episcopaliter, ut Ambrosius Augustinum, sed fraterne dilexit ac diligit. Illis in montibus vaganti sexta quadam feria maioris hebdomadæ cogitatio incidit, et valida, ut de Scipione Africano illo primo, cuius nomen, mirum unde, a prima mihi ætate carum fuit, poeticum aliquid heroico carmine scriberem. Quod tunc magno cœptum impetu, variis mox distractus curis intermisi, sed, subiecti de nomine, Africæ nomen libro dedi, operi nescio qua vel sua vel mea fortuna dilecto multis antequam cognito. Illis in locis moram trahenti, dictu mirabile, uno die

et ab urbe Roma Senatus, et de Parisiis Cancellarii Studii ad me litteræ pervenerunt, certatim me illæ Romam, illæ Parisios, ad percipiendam lauream poeticam evocantes. Quibus ego iuveniliter gloriabundus et me dignum iudicans quo me dignum tanti viri iudicarent, nec meritum meum sed aliorum librans testimonia, parumper tamen hæsitavi cui potius aurem darem. Super quo consilium Iohannis de Columna Cardinalis supranominati per litteras expetii. Erat enim adeo vicinus, ut cum sibi sero scripsissem, die altero ante horam tertiam responsum eius acciperem; cuius consilium secutus, Romanæ urbis auctoritatem omnibus præferendam statui, et de approbatione consilii eius, mea duplex ad illum extat epistola. Ivi ergo, et quamvis ego, more iuvenum, rerum mearum benignissimus iudex essem, erubui tamen de me ipso testimonium sequi, vel eorum a quibus evocabar; quod procul dubio non fecissent nisi me dignum oblato honore iudicassent. Unde Neapolim primum petere institui, et veni ad illum summum et regem et philosophum Robertum, non regno quam litteris clariorem, quem unicum regem et scientiæ amicum et virtutis nostra ætas habuit, ut ipse de me quod sibi visum esset censeret. A quo qualiter visus et cui quam acceptus fuerim et ipse nunc miror, et tu si noveris, lector, puto mirabere. Audita autem adventus mei causa, mirum in modum exhilaratus est, et iuvenilem cogitans fiduciam, et forsitan cogitans honorem quem peterem sua gloria non vacare, quod ego eum solum iudicem idoneum e cunctis mortalibus elegissem. Quid multa? Post innumeras verborum collationes variis de rebus, ostensamque sibi

Africam illam meam, qua usque adeo delectatus est ut eam sibi inscribi magno pro munere posceret, quod negare nec potui certe nec volui, super eo tandem pro quo veneram certum mihi deputavit diem, et a meridie ad vesperam me tenuit; et quoniam, crescente materia, breve tempus apparuit, duobus proximis diebus idem fecit. Sic triduo excussa ignorantia mea, die tertio me dignum laurea iudicavit. Eam mihi Neapoli offerebat et ut assentirer precibus etiam multis urgebat. Vicit amor Romæ venerandam tanti regis instantiam. Itaque inflexibile propositum meum cernens, litteras mihi et nuncios ad Senatum Romanum dedit, quibus de me iudicium suum magno favore professus est: quod quidem tunc iudicium regium et multorum et meo in primis iudicio consonum fuit; hodie et ipsius et meum et omnium idem sentientium iudicium non probo. Plus in eum valuit amor et aetatis favor quam veri studium. Veni tamen, et quamlibet indignus, tanto tamen fretus fisusque iudicio, summo cum gaudio Romanorum, qui illi solemnitati interesse potuerunt, lauream poeticam adhuc scholasticus rudis adeptus sum. De quibus etiam et carmine et soluta oratione epistolæ meæ sunt. Hæc mihi laurea scientiæ nihil, plurimum vero quæsivit invidiæ. Sed hæc quoque historia longior est quam poscat hic locus. Inde ergo digressus Parmam veni, et cum illis de Corrigia viris in me liberalissimis atque optimis, sed inter se male concordibus, qui tunc urbem illam tali regimine gubernabant quale nec ante in memoria hominum habuerat civitas illa, nec ætate hac, ut auguror, habitura est, aliquantulum tempus peregi. Et suscepti memor honoris, sollicitusque ne indigno col-

latus videretur, cum die quodam in montana conscendens, forte trans Entiam amnem Rheginis in finibus Silvam quæ Plana dicitur adiissem, subita loci specie percussus, ad intermissam Africam stilum verti; et fervore animi, qui sopitus videbatur, excitato, scripsi aliquantulum die illo, post continuis diebus quotidie aliquid, donec Parmam rediens et repostam ac tranquillam nactus domum, quæ postea empta, nunc etiam mea est, tanto ardore opus illud, non magno in tempore, ad exitum deduxi, ut ipse quoque nunc stupeam. Inde reversus ad fontem Sorgiæ et ad solitudinem transalpinam redii cum iam quartum et trigesimum ætatis annum post terga relinquerem; diuque et Parmæ et Veronæ versatus, et ubique, Deo gratias, carus habitus, multo amplius quam valerem. Longum post tempus viri optimi, et cuius nescio an e numero dominorum quisquam similis sua ætate vir fuerit, immo vero scio quod nullus, Iacobi de Carrharia Iunioris famæ præconio benevolentiam adeptus, nunciis quoque et litteris usque trans Alpes, quando ibi eram, et per Italiam ubicumque fui multos per annos tantis precibus fatigatus sum, et in suam sollicitatus amicitiam, ut quamvis de felicibus nil sperarem, decreverim tandem ipsum adire et videre quid sibi hæc magni et ignoti viri tanta vellet instantia. Itaque sero quidem Patavium veni, ubi ab illo clarissimæ memoriæ viro non humane tantum sed sicut in cœlum felices animæ recipiuntur, acceptus sum, tanto cum gaudio, tamque inæstimabili charitate ac pietate, ut quia æquare eam verbis posse non spero, silentio opprimenda sit. Inter multa sciens me clericalem vitam a pueritia tenuisse, ut me non sibi solum,

sed etiam patriæ arctius astringeret, me Canonicum Paduæ fieri fecit: et ad summam si vita sibi longior fuisset, mihi erroris et itinerum omnium finis erat. Sed heu nihil inter mortales diuturnum, et si quid dulce se obtulerit, amaro mox fine concluditur! Biennio non integro eum mihi et patriæ et mundo cum dimisisset, Deus abstulit, quo nec ego, nec patria, nec mundus (non me fallit amor) digni eramus. Et licet filius sibi successerit prudentissimus et clarissimus vir, et qui per paterna vestigia me carum semper atque honoratum habuit, ego tamen illo amisso cum quo magis mihi præsertim de ætate convenerat, redii rursus in Gallias, stare nescius, non tam desiderio visa millies revisendi, quam studio, more ægrorum, loci mutatione tædiis consulendi. . . . .

[redacted]

IN LIBROS DE REBUS FAMILIARIBUS

PRÆFATIO.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Magnam scriptorum suorum partem flammis comburendam tradidisse: multis tamen et præsertim litteris ad familiares suos et epistolis poeticis pepercisse: hasque Barbato Sulmonensi, illas Socrati se commendare. Plura de harum litterarum stilo et artificio, et de vitæ suæ vicissitudinibus.

Quid vero nunc agimus, frater? Ecce iam fere omnia tentavimus, et nusquam requies. Quando illam expectamus? Ubi eam quærimus? Tempora (ut aiunt) inter digitos effluxerunt. Spes nostræ veteres cum amicis sepultæ sunt. Millesimus trecentesimus quadragesimus octavus annus est, qui nos solos atque inopes fecit. Neque enim ea nobis abstulit quæ Indo aut Caspio Carpathiove mari restaurari queant. Irreparabiles sunt ultimæ iacturæ; et quodcumque mors intulit, immedicabile vulnus est. Unum est solamen: sequemur et ipsi quos præmisimus: quæ quidem expectatio quam brevis futura sit nescio. Hoc scio: quod longa esse non potest. Quantulacumque sane est, non potest esse non molesta. Sed a querelis saltem in principio temperandum est. Tibi, frater, quænam tui cura sit, quid de te ipso cogites ignoro. Ego iam sarcinulas compono, et (quod migraturi solent) quid mecum deferam, quid inter amicos partiar, quid ignibus mandem circumspicio. Nihil enim venale mihi est. Sum sane ditior (seu

verius) impeditior quam putabam. Multa mihi scriptorum diversi generis suppellex domi est: sparsa quidem et neglecta. Perquisivi situ iam squallentes arculas, et scripturas carie semesas pulverulentus explicui. Importunus mihi mus nocuit; atque edacissimum tineæ vulgus et palladias res agentem inimica Palladis turbavit aranea. Sed nihil est quod non frangat durus et iugis labor. Confusis itaque circumventus litterarum cumulis, et informi papyro obsitus, primo quidem cœpi impetu cuncta flammis exurere et laborem inglorium vitare. Deinde (ut cogitationes e cogitationibus erumpunt), et quid, inquam, prohibet velut e specula fessum longo itinere viatorem in terga respicere, et gradatim adolescentiæ tuæ curas metientem recognoscere? Vicit hæc sententia. Sicut enim non magnificus, sic non inamœnus labor visus est quid quo tempore cogitassem recordari. Sed temere congesta nullo ordine versanti, mirum dictu quam discolor et quam turbida rerum facies occurrerit, ut quædam non tam specie illorum, quam intellectus mei acie mutata, vix ipse cognoscerem, alia vero non sine voluptate quadam retroacti temporis memoriam excitarent. Et erat pars soluto gressu libera, pars frænis Homericis adstricta, quoniam Isocratis habenis raro utimur; pars autem mulcendis vulgi auribus intenta, suis et ipsa legibus utebatur. Quod genus apud Siculos (ut fama est) non multis ante sæculis renatum, brevi per omnem Italiam ac longius manavit apud Græcorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum: siquidem et Atticos et Romanos vulgares rythmico tantum carmine uti solitos accepimus. Hæc itaque variarum rerum tanta colluvies aliquot me diebus occu-

patum habuit; et licet dulcedine non parva, atque amore ad proprias inventiones insito retraherer, vicit tamen charitas maiorum operum, quæ iam diutius interrupta, non sine expectatione multorum de manibus meis pendent. Vicit recordatio vitæ brevis. Timui (fateor) insidias. Quid enim, quæso, fugacius vita est? Quid morte sequacius? Subiit animum quæ iecissem fundamenta: quid mihi laborum, vigiliarumque restaret. Temeritas imo vero insania visa est in tam brevi et incerto tempore tot longos certosque labores amplecti, et vix ad singula suffecturum ingenium in diversa distrahere, præsertim cum (ut nosti), labor alius me maneat tanto præclarior, quanto plus solidæ laudis est in actionibus quam in verbis. Quid multa? Incredibilem forte rem audies, veram tamen; mille vel eo amplius, seu omnis generis sparsa poemata, seu familiares epistolas, non quia nihil in eis placuisset, sed quia plus negotii, quam voluptatis inerat, Vulcano corrigendas tradidi, non sine suspirio quidem; quid enim mollitiem fateri pudeat? Sed occupato animo, quamvis acri remedio, succurrendum erat, et tamquam in alto prægravata navis relevanda præciosarum etiam iactu rerum. Cæterum illis ardentibus, pauca quidem animadverti in angulo iacentia, quæ vel casu magis quam consilio servata, vel pridem a familiaribus transcripta, cuncta vincenti senio restiterant. Pauca dixi: vereor ne lectori multa, scriptori autem longe nimia videantur. His ego indulgentior fui: vivere passus sum, non illorum dignitati, sed labori meo consulens. Nihil enim negocii præferebant. Ea vero duorum amicorum libranti ingenia hac lance partiri visum est, ut prosa tibi, carmen Bar-

bato nostro cederet. Sic enim et vos olim optare solitos, et me pollicitum esse memineram. Itaque cuncta passim occursantia uno impetu vastanti, et ne his quidem, ut tunc erat animus, parsuro, vestrum alter ad lævam, alter ad dexteram adesse visus, et apprehensa manu, ne fidem meam et spes vestras uno igne consumerem, familiariter admonere. Hæc illis evadendi præcipua causa fuit: alioquin (crede mihi) cum reliquis arsissent. Hæc ergo quæ nunc tibi de virili reliquiarum illarum parte obveniunt, qualiacumque sunt, non solum aequo, verum etiam avido animo perleges. Non audeo illud Apuleii Medaurensis in commune iactare: *Lector, intende : lætaberis.* Unde enim mihi id fiduciæ, ut lectori delectationem lætitiamve pollicear? Leges tamen ista, mi Socrates, et ut es amantissimus tuorum, fortasse lætabere, cuiusque animum probas delectaberis stilo. Quid enim refert, quanta sit forma, nonnisi amantis subitura iudicium? Supervacuo comitur, quæ iam placet. Si quid hic sane meum placet, non id meum fateor, sed tuum: hoc est non ingenii mei, sed amicitiæ tuæ laus est. Nulla hic equidem magna vis dicendi: quippe quæ nec mihi adest, et quam, si plane afforet, stilus iste non recipit: ut quam nec Cicero ipse in ea facultate præstantissimus epistolis suis inseruit certe, nec libris in quibus est æquabile quoddam (ut ipse ait) et temperatum orationis genus. Eximiam illam vim, lucidumque et rapidum et exundans flumen eloquentiæ in orationibus suis exercuit: quo genere pro amicis sæpe adversus rempublicam suosque hostes usus est Cicero; quo pro aliis sæpe, pro se quater et quadragies Cato. Quod quidem

genus inexpertum mihi est. Nam et a reipublicæ muneribus abfui, et fama mea tenui murmure forsan interdum, et sibilis lacessita clandestinis, nullum hactenus quod ulciscerer vel vitarem iudiciarium vulnus excepit: et verbalem ferre opem alienis vulneribus non est nostræ professionis. Neque enim aut tribunal ambire, aut locare linguam didici, adversante penitus et reluctante natura; quæ me silentii ac solitudinis amatorem fecit, fori hostem, pecuniæ contemptorem. Sed bene habet: quando me eius rei non egentem fecit, cujus forte inopem fecisset, si egerem. Omissa igitur illa oratoria dicendi vi, qua nec egeo nec abundo, et quam, si exuberet, ubi exerceam non habeo, hoc mediocre, domesticum, et familiare dicendi genus amice leges ut reliqua, et boni consules, his, quibus in communi sermone utimur, aptum accommodatumque sententiis. Sed non omnes tales iudices habeo: neque enim aut idem omnes sentiunt, aut similiter amant omnes. Quomodo autem omnibus placerem, cui placere paucis semper studium fuit? Triplex est profecto veri iudicii venenum: amor, odium, invidia. Illud autem vide, ne nimium nos amando, vulgare coegeris quæ melius latuissent: ut enim tibi amor, sic aliis forte aliud officiet. Inter amoris autem et invidiæ cæcitatem causa quidem plurimum, effectu nihil interest. Odium, quod medio loco numeraveram, nec mereor certe, nec metuo. Sed fieri potest ut nugas meas tibi habere, tibi legere, nilque in eis aliud quam nostros ac nostrorum casus meminisse cogites; in quo rem mihi pergratam feceris: sic enim et petitio tua non neglecta videbitur, et fama mea tuta erit. Alioquin nihil supervacuo nosmetipsos favore decipimus.

Quonam modo, amicum licet, nisi sit idem alter ego, lecturum hæc sine fastidio arbitremur diversa invicem et adversa? in quibus non idem stilus, non una scribentis intentio: quippe cum pro varietate rerum, varie affectus animus illa dictaverit, raro quidem lætus, mœstus sæpe. Epicurus philosophus vulgo infamis, sed maiorum iudicio magnus, epistolas suas duobus aut tribus inscripsit, Idomeneo, Polieno, et Metrodoro. Totidem pene suas Cicero: Bruto, Attico, et Ciceronibus suis, fratri scilicet ac filio. Seneca perpaucas præter quam Lucilio suo scribit. Promptum opus, et felicissimi successus nosse collocutoris sui animum, unius assuevisse ingenio, scire quid illum audire iuvet, quid te loqui deceat. Mihi autem sors longe alia: nempe cui usque ad hoc tempus vita pæne omnis in peregrinatione transacta est. Ulysseos errores erroribus meis confer: profecto si nominis et rerum claritas una foret, nec diutius erravit ille, nec latius. Ille patrios fines iam senior excessit: cum nihil in ulla ætate longum sit, omnia sunt in senectute brevissima. Ego in exilio genitus, in exilio natus sum, tanto matris labore tantoque discrimine, ut non obstetricum modo, sed medicorum iudicio diu exanimis haberetur. Ita periclitari cœpi antequam nascerer, et ad ipsum vitæ limen auspicio mortis accessi. Meminit haud ignobilis Italiæ civitas Aretium; quo pulsus patria pater magna cum bonorum acie confugerat. Inde mense septimo sublatus sum, totaque Tuscia circumlatus prævalidi cuiusdam adolescentis dextera, qui (quando iuvat laborum discriminumque meorum tecum primitias recordari) linteo obvolutum, nec aliter quam Metabus Camillam, nodoso de stipite pen-

dentem, ne contactu tenerum corpus offenderet, gestabat. Is in transitu Arni fluminis, lapsu equi effusus, dum onus sibi creditum servare nititur, violento gurgite prope ipse periit. Finis Tusci erroris Pisæ. Unde rursus ætatis anno septimo divulsus, ac maritimo itinere transvectus in Gallias, hibernis aquilonibus haud procul Massilia naufragium passus, parum abfui quin ab ipso rursus novæ vitæ vestibulo revocarer. Sed quo rapior oblitus propositi? Inde nimirum usque ad hanc ætatem aut nulla prorsus, aut rarissima subsistendi respirandique facultas fuit: et quot inter errandum periculorum timorumve species pertulerim, præter me unum, nemo te melius novit; quæ idcirco memorare nunc libuit, ut memineris me inter pericula natum, inter pericula senuisse, si modo iam senui, et non graviora mihi in senio reservantur. Hæc autem etsi communia sint omnibus intrantibus in hanc vitam (neque enim militia solum sed pugna est vita hominis super terram), sunt tamen alia aliis, et longe diversum pugnæ genus; et quamvis quemque sua prægravent, tamen revera inter eas quibus premimur sarcinas multum refert. In his ergo vitæ tempestatibus (ut ad rem redeam) nullo portu anchoram longum in tempus iaciens, quot veros amicos nescio, quorum et iudicium anceps, et penuria ingens est, notos autem innumerabiles quæsivi. Multis itaque multumque animo et conditione distantibus scribere contigit tam varie, ut ea nunc relegens interdum pugnantia loquutus ipse mihi videar: quod propemodum coactum me fecisse fatebitur quisquis in se simile aliquid expertus est. Prima quidem scribentis cura est, cui scribat attendere: una enim et quid, et

[redacted]

qualiter, cæterasque circumstantias intelliget. Aliter virum fortem, aliter ignavum decet alloqui; aliter iuvenem inexpertum; aliter vitæ muneribus functum senem; aliter prosperitate tumidum; aliter adversitate contractum; aliter denique studiosum, litterisque et ingenio clarum: aliter vero non intellecturum si quid altius loquaris. Infinitæ sunt varietates hominum: nec maior mentium similitudo quam frontium: et sicut non diversorum modo, sed unius stomachum non idem cibus omni tempore delectat; sic idem animus non uno semper nutriendus stilo est: ut geminus sit labor cogitare quisnam ille sit, cui scribere propositum est; qualiterve tunc affectus cum ea, quæ scribere instituis, lecturus est. Quibus ego difficultatibus multum a me ipso differre compulsus sum. Quod ne mihi ab iniquis iudicibus vitio verteretur partim beneficio ignis obtinui; partim tu mihi præstiteris, si clanculum suppressoque nomine ista possederis. Quæ si inter paucos superstites amicos occultare non potes (quoniam lyncæos oculos habet amicitia, nihilque amicorum visui impervium est), admone ut si quid horum apud eos substiterit, quamprimum abiiciant; ne qua in eis rerum aut verborum mutatione turbentur. Ita enim accidit, ut qui hæc in unam congeriem redigi nunquam aut tibi ut peteres, aut mihi ut assentirer venturum in animum suspicabar, laborem fugiens passim in una dictum epistola, in altera repeterem; meisque (ut ait Terentius) pro meis uterer. Novissime cum multis annis edita et ad diversas mundi plagas ire iussa unum in tempus locumque convenissent, facile deformitas uniti corporis apparuit, quæ per membra tegebatur; et verbum quod

semel in una epistola positum delectabat, in toto opere sæpius repetitum fastidio esse cæpit. Uni itaque relinquendum, de reliquis eradendum fuit. Multa quoque de familiaribus curis tunc forte dum scriberentur cognitu non indigna, nunc quamvis cupido lectori, gravia, detraxi, memor in hoc irrisum a Seneca Ciceronem; quamquam in his epistolis magna ex parte Ciceronis potius quam Senecæ morem sequar. Seneca enim quidquid moralitatis in omnibus fere libris suis erat, in epistolis congessit. Cicero autem philosophica in libris agit: familiaria et res novas ac varios illius sæculi rumores in epistolis includit. De quibus quid Seneca sentiat, ipse viderit. Mihi (fateor) peramœna lectio est. Relaxat enim ab intentione illa rerum difficilium, quæ perpetua quidem frangit animum, intermissa delectat. Nam Sidonii temeritatem admirari vix sufficio: nisi forte temerarius ipse sim, qui temerarium illum dicam, dum sales eius seu tarditatis meæ, seu illius stili obice, seu fortassis (nam unumquodque possibile est) scripturæ vitio non satis intelligo. Unum utique non me fugit, irrisum et a Sidonio Ciceronem. O libertas, ne, si dicam audacia, quos temeritatis nomen offendit exasperem: inventum esse hominem latinum, qui non dico aliquid (ut et Senecam, et iam hinc me ipsum excusem: vix est enim humanum omni reprehensione caruisse), sed eloquentiam, aut stilum, aut omnino dicendi genus Ciceronis irrideat. Atque hoc Sidonius ausus est! Alvernus orator non Latio se fingere fratrem, ut ait ille (quod ipsum satis erat audaciæ), sed æmulum, et (quod est gravius) irrisorem, atque illi detrahere, cui omnes deferunt præter paucos illius coæ-

taneos ac concives: quos præsentium comes haud dubie torsit, et in voces compulit invidia; quam nec Sidonio causam locus, nec tempus indulserat. Quo magis magisque animum viri miror, ut contra indubitatum eloquentiæ principem eloquentiæ studiosus insurgeret, alio sæculo, atque alio natus orbe. Et sane cuncta versanti nihil occurrit, quo vel docti hominis ignorantiam accusare possim, vel iniuriam excusare, nihilque quod suspicer perversitatem fuisse iudicii, non naturæ. Falli tamen in hoc possum, ut in multis: in eo certe non fallor, vel si fallor, cum multis longeque clarissimis falli iuvat, quod solutæ facundiæ principatus, contradictoribus late victis, unius Ciceronis est proprius: quo luce clarior fit vel morum vel intellectus obbliquitas contrarium asserentis. Ille tamen adducit nescio quem Julium Titianum, et nescio quos Frontonianos suæ irrisionis auctores: quibus ego simulque omnibus idem sentientibus una voce respondeo hoc solum: sicut equidem verum est illud Senecæ, *quoniam quidquid habet Romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit:* verumque illud Quintiliani ubi inter multa et gloriosa præconia viri huius, *dono quodam providentiæ genitum* dicit, *in quo totas virtutes suas eloquentia experiretur:* et post multa quibus hoc probat: *Quare,* inquit, *non immerito ab omnibus ætatis suæ regnare in iudiciis dictus est: apud posteros vero id consequutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum nobis exemplum sit. Ille se profecisse sciat cui Cicero valde placebit:* sicùt hæc, inquam, vera sunt, sic illud quoque verissimum,

quibus displiceat Ciceronis oratio, vel non nosse veram perfectamque facundiam, vel odisse. Hanc ego calumniam indiscussam transire non potui, quamquam valde festinem. Ad rem redeo. Multa igitur hic familiariter ad amicos, inter quos et ad te ipsum, scripta comperies, nunc de publicis privatisque negociis, nunc de doloribus nostris (quæ nimis crebra materia est), aut aliis de rebus, quas casus obvias fecit. Nihil quasi aliud egi nisi ut animi mei status, vel si quid aliud nossem, notum fieret amicis. Probatur enim mihi quod prima ad fratrem epistola Cicero idem ait, esse epistolæ proprium, ut is ad quem scribitur de his rebus quas ignorat, certior fiat. Atque ea mihi tituli fuit occasio, de quo aliquando cogitanti, quamvis epistolarum nomen consentaneum rebus esset, quia tamen et multi veterum eo usi erant, et ipse ego varium carmen ad amicos, de quo paulo supra mentio incidit, eodem prænotabam, bis eo uti piguit: novumque ideo placuit nomen, ut *familiarum rerum* liber diceretur, in quo pauca scilicet admodum exquisite, multa familiariter, deque rebus familiaribus scripta erant; etsi interdum, exigente materia, simplex et inelaborata narratio, quibusdam interiectis moralibus; quod et ab ipso Cicerone servatum est. Et hæc tam multa quidem de tam parva re loqui censorum permordacium iubet metus, qui nihil scribentes quod iudicari queat, de aliorum iudicant ingeniis. Impudentissima temeritas, quæ solo silentio tuta est. Complosis in litore manibus sedenti facile est ferre quam velit de gubernatoris arte sententiam. Adversus hanc proterviam latebris saltem tuis horridula hæc atque improvide nobis elapsa defendito. Illam vero non

Phidiæ Minervam (ut ait Cicero) sed qualemcumque animi mei effigiem, atque ingenii simulachrum multo mihi studio dedolatum, si unquam supremam illi manum imposuero, cum ad te venerit, secura qualibet in arce constituito. Hæc hactenus. Aliud libentius, si liceret, silentio tegerem : sed ingens morbus non facile occultatur : erumpit enim, et inditio suo proditur. Pudet vitæ in mollitiem dilapsæ. Ecce enim (quod epistolarum ordo ipse testabitur) primo mihi tempore sermo fortis ac sobrius bene valentis animi fuerat ; adeo ut non me solum, sed sæpe alios consolarer : sequentia in dies fragiliora atque humiliora sunt, neque sat virilibus referta querimoniis. Illa præcipue ut occultare studeas precor. Quid enim alii dicerent, cum ipse relegens erubescam ? Ergo ego in adolescentia vir fui, ut in senectute puer essem? Infelix et execranda perversitas fuit animi vel mutare ordinem, vel subtrahere tibi penitus ista quæ damno. Neutro circumveniri posse visus eras ; qui et flebilium exempla, et omnium cum consule diem tenes. Ad excusationum igitur arma confugio. Lassavi me longo et gravi prælio. Dum spiritus dumque animus fuit, ipse restiti, et ad resistendum alios cohortatus sum. Ubi hostis viribus atque impetu labare mihi pes atque animus cæpit, excidit confestim sermo ille magnificus ; et ad hæc quæ modo displicent lamenta descendi. Qua in re excuset me forsitan amicorum pietas, quibus salvis, ad nullum fortunæ vulnus ingemui : eisdem mox una pene omnibus ruina obrutis, et mundo insuper moriente, inhumani potius quam fortis visum est non moveri. Ante hoc tempus quis me unquam de exilio, de morbo, de iudicio, de comitiis,

[redacted]

de ullis fori turbinibus, quis me de paterna domo, de fortunis perditis, de gloria imminuta, de pecunia dilata, de absentia amicorum flebiliter agentem audivit? Quibus quidem in molestiis tam molliter agit Cicero, ut quantum stilo delector, tantum sæpe sententia offendar. Adde litigiosas epistolas, et adversus clarissimos, atque ab eodem paulo ante laudatissimos viros iurgia ac probra, mira cum animi levitate: quibus legendis delinitus pariter et offensus, temperare mihi non potui quominus, ira dictante, sibi tamquam coætaneo amico, familiaritate quæ mihi cum illius ingenio est, quasi temporum oblitus, scriberem, et quibus in eo dictis offenderer admonerem: quæ mihi cogitatio principium fuit ut et Senecæ tragœdiam, quæ inscribitur Octavia, post annos relegens, parili impetu eidem quoque, ac deinde, varia occurrente materia, Varroni Virgilioque atque aliis scriberem; e quibus aliquas in extrema parte huius operis inserui (quæ nisi præmonitum lectorem subita possent admiratione perfundere), quædam in illo publico incendio periere. Qualis ille vir tantus in doloribus suis fuit, talis ego in meis fueram. Hodie (ut scias præsentem animi mei habitum), neque enim invidiosum fuerit id mihi tribuere, quod imperitis evenire ait Seneca, factus sum ex ipsa desperatione securior. Quid enim metuat qui toties cum morte luctatus sit?

Una salus victis nullam sperare salutem.

Animosius in dies agere videbis, animosius loqui. Et si quid forte stilo dignum se obtulerit, erit stilus ipse nervosior. Multa sane se offerent. Scribendi enim

mihi vivendique unus (ut auguror) finis erit. Sed cum cætera suos fines aut habeant, aut sperent, huius operis, quod sparsim sub primum adolescentiæ tempus incœptum iam ætate provectior recolligo, et in libri formam redigo, nullum finem amicorum charitas spondet, quibus assidue respondere compellor: neque me unquam hoc tributo multiplex occupationum excusatio liberat. Tum demum et mihi immunitatem huius muneris quæsitam, et huic operi positum finem scito, cum me defunctum, et cunctis vitæ laboribus absolutum noveris. Interim iter inceptum sequar, non prius viæ quam lucis exitum opperiens; et quietis mihi loco fuerit dulcis labor. Cæterum (quod et rhetores et bellorum duces solent) infirmioribus in medium coniectis, dabo operam, ut sicut prima libri frons, sic extrema acies virilibus sententiis firma sit: vel eo amplius quo vivendo magis ac magis induruisse videor, contra impetus atque iniurias fortunæ. Denique quis inter experimenta rerum sim futurus profiteri minime ausim. Sed hoc animo sum ut nulli amplius rei succumbam.

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Ita me Maronis Flaccique sententiis armatum scito, quas olim lectas, et sæpe laudatas, nunc tandem in extremis casibus meas facere ipsa inevitabilis fati necessitate didici.

Dulce mihi colloquium tecum fuit: cupideque et quasi de industria protractum. Vultum enim tuum retulit, per tot terras et maria, teque mihi præsentem fecit usque ad vesperam: cum matutino tempore cala-

mum cæpissem, diei iam et epistolæ finis adest. Hæc igitur tibi, frater, diversicoloribus (ut sic dicam) liciis texta dicaverim. Cæterum si stabilis sedes et frustra semper quæsitum ocium contigerit (quod iam hinc ostendere se incipit), nobiliorem et certe uniformem telam tuo nomine meditor ordiri. Vellem ex his paucis esse, qui famam promittere possunt et præstare. Sed ipse vi propria in lucem venies, alis ingenii subvectus, nihilque auxilii mei egens: profecto tamen, si inter tot difficultates assurgere potuero, tu olim Idomeneus, tu Atticus, tu Lucilius meus eris. Vale.

[redacted]

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Famam ante obitum non esse appetendam, quum ea nobis viventibus minime possit acquiri.

Querelam publicam nemo sapiens suam facit. Satis quisque privatarum querelarum domi habet. Satis dixi: nimis dicere debueram. Nulli ne hoc unquam accidisse reris? Falleris. Nulli vero contrarium accidit. Vix, superstite qui fecerat, cuiusquam scripta vel gesta placuerunt. Laudes hominum mors inchoat. Scis quare? Quia cum corpore moritur invidia, vivitque cum corpore. Multorum, inquis, scripta laudantur, quæ si gloriari licet . . . . . non pergis ulterius: sed (qui indignantibus mos est) suspensum linquens auditoris animum, sermone prætervolas inexpleto. Verum enimvero fugientem consequor mentis augurio: scio quid velis. Multorum scripta laudantur, quæ tuis admota carere non tantum laudatore, sed etiam lectore debuissent; cum tua interim nullus attingat. Recognosce in verbis meis indignationem tuam, quæ iusta esset nisi illam de communi omnium acervo in usus proprios traduxisses:

omnium, inquam, quos hic scribendi seu amor seu morbus tenuit, omniumve quos tenebit. Respice enim in primis quorum sunt illa quæ laudantur. Quære auctores; certe pridem in cinerem versi sunt. Vis et tua laudari? morere. A morte hominis vivere incipit humanus favor, et vitæ finis principium est gloriæ: quæ si ante cœperit, singularis quædam et intempestiva res est. Plus dicam: dum eorum qui tecum vixerunt quisquam superfuerit, cumulate quidem quod appetis non habebis; cum omnes pariter urna concluserit, venient qui sine odio et sine invidia iudicent. Ferat itaque de nobis quamlibet sententiam præsens ætas. Si æquam, feramus æquo animo; si iniquam, ad æquiores iudices, hoc est ad posteros provocemus, quando ad alios non licet. Delicatissima res est iugis conversatio: minimis offenditur, et famæ semper inimica præsentia est, multaque admirationi hominum familiaritas detrahit frequensque convictus. Vides ne tu hos scholasticos, genus hominum vigiliis ac ieiunio squallidum? Crede mihi: nihil ad lucubrandum durius, nihil mollius ad iudicandum. Cum multa laboriosissime legerint, nihil examinant: et quid in re sit dedignantur inquirere, cum hominem ipsum nosse videantur. Itaque omnium una lex est: cuncta enim ex æquo, quorum auctores vel semel aspexerint, scripta fastidiunt. Hoc, inquies, parvis accidit ingeniis: magna enim et valida per obstantia quælibet erumpunt. Redde mihi Pitagoram; reddam tibi illius ingenii contemptores. Redeat in Græciam Plato; renascatur Homerus; reviviscat Aristoteles; revertatur in Italiam Varro; resurgat Livius; reflorescat Cicero; non modo segnes laudatores inve-

nient, sed mordaces etiam et lividos detractores: quod quisque suis temporibus expertus est. Quid Virgilio maius habuit lingua latina? Reperit tamen ille, qui non poetam, sed raptorem alienarum inventionum, et translatorem diceret. Ipse autem et ingenii fiducia, et iudice fretus Augusto, alto animo invidorum verba despexit. Tibi quidem magnam ingenii conscientiam esse scio. Sed ubi Agustum iudicem invenies, quem enixe admodum atque omnibus modis ingeniis sui temporis favisse compertum est? Nostri reges de saporibus epularum, et de volatu avium iudicare possunt; de ingeniis hominum non possunt. Quod si forte præsumpserint, superbiæ tumor aperire oculos aut flectere, et in verum figere non sinit. Itaque ne quid suæ ætatis suspicere videantur, mirantur veteres; quos novere contemnunt, ut defunctorum laus viventium contumelia non vacet. Inter hos iudices vivendum moriendumque nobis est, et (quod est durius) tacendum. Ubi enim, ut dixi, Augustum iudicem quæremus? Unum habet Italia: imo vero terrarum orbis unum habet: Robertum Siculum regem. Fortunata Neapolis, quæ unicum sæculi nostri decus incomparabili felicitate sortita es! Fortunata, inquam, et invidiosa Neapolis, litterarum domus augustissima, quæ si Maroni quondam dulcis visa es, quanto nunc dulcior videreris, ubi ingeniorum ac studiorum æquissimus æstimator habitat? Ad te confugiat quisquis ingenio fidit. Neque vero differendum putet: suspecta mora est. Devexa enim est ætas, et mundus iam pridem eo carere, et ipse ad meliora règna transire meritus, vereorque ne multam ipse mihi seræ pœnitentiæ materiam prolatando quæsierim. Omnis

quidem pulchræ rei dilatio turpis, et omnis de honesto deliberatio longior inhonesta est. Rapienda est occasio, confestimque faciendum quod ante tempus fieri non potest. Quod ad me attinet, currere et properare propositum est ut (quod de Iulio Cæsare in epistola quadam ait Cicero) omnia mea studia in istum conferam. Ego vero ardenti quidem studio id fortasse efficiam, quod sæpe viatoribus cum properant evenit, ut si serius quam voluerint forte surrexerint, properando, etiam citius quam si de nocte vigilassent, perveniant quo velint. Sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, cursu corrigam tarditatem. Tibi autem tuo foro uti necesse est, quando ad eum regem aspirare non tam freti, quam belli obice prohiberis. Patria enim tua, cuius nemo te amantior civis est, inimici regis imperio subiacet: dicerem tyranni, nisi quia timeo aures tuas offendere. Ad hæc et magna res est, neque nostris calamis discernenda, sed illorum gladiis. Igitur ad inceptum redeo. Si hæc tibi exempla de illustrissimis electa non sufficiunt, alia ex alio grege hominum adiiciam, et ætate recentiora et sanctitate clarissima. Quantos olim æmulos Augustinus noster, quantos Hieronymus, quantos habuit Gregorius, donec spectata virtus et litterarum divina et admirabilis ubertas invidiam vinceret? Vix horum quisquam integrum famæ præconium, nisi ab ipso die mortis, accepit. Unum æmulo ac reprehensore carentem, unum plena et indecerpta laude decoratum Ambrosium, cuius ne inventis quidem famam mordax livor attigerit apud quosdam invenio; quod forte ad puram eius ac simplicem doctrinam omnis ambigui expertem referendum est.

Nam apud Paulinum, qui Ambrosii vitam scripsit, et obtrectatorum eius nomina legimus, et vindictam divino iudicio irrogatam. Perfer igitur iam sine lamentis quod summis ingeniis contigisse vides. Videris autem quadam in parte tuarum litterarum hoc ipsum conqueri, quod multos noveris magnum in vita nomen assequutos. Et hoc quoque, si me audire volueris, magnifice contemnes. Scis enim quibus hoc evenit? His equidem solis, qui famam suam, quoniam calamo nequeunt, clamore defendunt. Aspice istos purpuratos, qui ingenti strepitu populorum in se ora convertunt, qui se sapientes dici volunt, et quos sapientes vulgus appellat, singulis civitatibus ascribens sapientum greges, cum tamen illa florens olim studiorum mater Græcia, non amplius quam septem sapientum nominibus glorietur, quod ipsum posteris importunæ nomen arrogantiæ visum est: sed qui eos excusant aiunt non id eis cognomen proprio iudicio, sed populorum suffragiis obtigisse. Unus ex omnibus sæculis Epicurus sapientem se profiteri ausus intolleranda superbia, seu potius ridiculosa dementia, cuius secundo De Finibus bonorum et malorum meminit Cicero. Hodie in nostrorum causidicorum grege furor ille vulgaris est. Respice et hos qui in altercationibus et cavillationibus dialecticis totum vitæ tempus expendunt, seque inanibus semper quæstiunculis exagitant: et præsagium meum de omnibus habeto. Omnium nempe cum ipsis fama corruet, unumque sepulcrum nomini ossibusque sufficiet: cum enim mors frigidam linguam stare coegerit, non modo ut sileant necesse est, sed ut de his etiam sileatur. Possem exemplis affluere, teque ipsum in multis testem facere.

Quot loquacissimas picas agnovimus in oculis insanæ multitudinis perstrepentes, quarum repente vox cecidit? nisi longa et apud quosdam superstitum odiosa forte narratio esset. Sed de his et sæpe alias, et nunc, quod res ipsa poscebat, diximus. Neque enim ut eos monerem sermo mihi institutus, sed ut tibi satisfacerem, cuius omnino diversa conditio est. Tunc enim maxime resonabis, cum iam loqui amplius nequiveris. Cæterum valde impatientis animi est brevissima expectatione torqueri. Expecta paululum; eris voti compos: cum obstare tibi ipse desieris, id, ex parte, longæva forsan absentia, ad plenum, mors sola præstabit. Reduc ad memoriam ex omnibus sæculis illustres viros Romanos, Græcos, barbaros, quorum non præsentia famæ nocuerit. Tibi, cui recentior memoria est, plures forte ex historiis occurrent. Ego id uni omnium Africano tributum memini, ut scilicet et fama mirabilis, et præsentia mirabilior haberetur. Idem sacris in litteris tribuitur Salomoni: quære alium, forte non invenies; etsi Virgilius immodico studio Æneam suum exornandi, hoc ad eum gloriæ genus transferre contendat. Sed immobile verum est. Excusant tamen, quasi non Æneam, sed, sub Æneæ nomine, virum fortem perfectumque describat. Dedit idem oratorum uni dumtaxat is, qui hoc sibi verius usurpasset; perillustris scilicet oratorum princeps Marcus Tullius, uni quoque poetarum idem tribuit, Aulo Licinio Archiæ. Sed vereor ne id, amore iudicium obliquante, præceptori suo mediocris ingenii viro tribuat, quod nec Homero tribuit, nec Virgilio tribuisset. Cæterum, ut ad te revertar, nihil ex omnibus quæ dixi, quod tibi iustam indignandi ma-

[redacted]

teriam præstare possit, invenies. Nemo enim se anteiri ab uno vel a paucis ægre fert, nisi qui gloriæ principatum pertinaci sibi mente constituit. Patere, ut cæterarum rerum, sic ingenii tui sortem nominisque fortunam. Putabas eam in solis divitiis ius habere? Humanarum rerum omnium, excepta virtute, domina est: illam quoque sæpe oppugnare, sed nunquam expugnare permittitur. Famam certe, qua nihil est levius, facile rotat, ac ventosis suffragiis circum volvit, a dignis eam transferens ad indignos. Nihil quidem mobilius, nihil iniquius vulgari iudicio, super quo fama fundata est. Itaque mirum non est si assidue quatitur, quæ tam tremulis innititur fundamentis. Hæc sane nonnisi in vivos regnum habet: mors hominem eximit ab imperio fortunæ. Cessant exinde ludibria hæc: velit ipsa vel nolit, virtutem fama, ceu solidum corpus umbra, consequitur. Habes ergo (ni fallor) gloriandi potius causam quam indignandi, si cum omnibus fere præstantibus atque clarissimis viris communis tibi tua sors est. Quoque etiam nunc æquiore animo sis, Africanum ipsum, quem ex hac acie segregare visus eram, in commune restituam; cui quamvis, quod rarissimum est (ut dixi), præsentia non nocuerit, nocuit tamen, ut cæteris hominum, invidia, quam tantis virtutibus non potuit extinguere, incenditque potius et inflammavit: nocuit (quod sine indignatione non possum meminisse) conversatio longior, et nascens ex familiaritate contemptus. Unde autem hæc eliciam percontabere. Nolo me aliquid immutasse suspiceris. Ipsa Titi Livii clarissimi scriptoris verba ponam, qui, orta contentione dignitatis honorumque inter Scipionem Africanum Titumque Flaminium, in qua

succubuisse Scipionem refert, *Maior*, inquit, *gloria Scipionis, et quo maior, eo propior invidiæ:* et statim postea: *Accedebat*, inquit, *et aliud: Scipio Africanus iam prope annum decimum assiduus in oculis hominum fuerat, quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit.* Et hæc quidem ille. Tu vero (ut iam finem faciam) fortunam tuam tanto comite solabere, expectabisque tranquillius, memor vetus apud Flaccum verbum esse: quod, ut vina, sic poemata meliora dies reddit. Apud Plautum aliquanto vetustius: ille enim ait:

Qui utuntur vino vetere sapientes puto,
Et qui lubenter veteres inspectant fabulas.

Quod non minus ipsi Flacco bilem commovisse suspicor, quam tibi, tantam esse vetustatis reverentiam, ut crimen longo sermone purgandum sibi fuerit Lucilium reprehendisse. Postremo tecum cogita. Quid est hoc pro quo tam sollicite torqueamur? Ventus est fama, quam sequimur; fumus est, umbra est, nihil est. Itaque facillime recto atque acri iudicio contemni potest. Quod si forte (quoniam generosos animos familiaris hæc pestis insequi solet) appetitum hunc extirpare radicitus non potes, excrescentem rationis saltem falce compesce. Parendum tempori, parendum rebus est. Denique (ut sententiæ meæ summam brevius expediam) virtutem cole dum vivis; famam invenies in sepulcro. Vale.

Bononiæ. XIIII Kal. Maias.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA RAYMUNDO SUPERANTIO S. P. D.

Hominum vitam æque ac flosculum momento temporis et virere et arescere.

Vereri mihi (nec immerito) visus es, ne (quod fere omnibus adolescentibus accidit) ætatis flore decipiar. Non pollicebor tibi, pater, animum solidum ac stabilem, omnisque vanitatis exortem (quod in hac ætate difficillimum, et potius divinæ gratiæ, quam humanæ virtutis arbitror); sed mentem haudquaquam suæ conditionis ignaram spondeo. Sentio me (mihi crede), nunc dum maxime florere videor, maxime ad arescendum pergere. Quid in re celerrima segnibus verbis utor? imo vero properare, imo currere, imo (ut loquar proprie) volare. Volat enim ætas (ut ait Cicero): et omnino nihil est aliud tempus vitæ huius, quam cursus ad mortem: in quo (ut ait Augustinus) nemo vel paulo stare, vel aliquanto tardius ire permittitur, sed urgentur omnes pari motu, nec diverso impelluntur accessu. Neque enim cuius vita brevior fuit, celerius diem duxit, quam ille cui longior; sed quum æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter abiit propius, alter remotius, quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud est enim amplius viæ peregisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo usque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit. Ecce quanti duo viri velocitatem vitæ mortalis describentes, volare eam et currere asserunt. Quo-

tiens vero Virgilius fugere tempus ait? Quid, si omnes tacerent? quid etiam, si negarent? numquid ideo segnius fugiens curreret aut volaret? Neque vero me, talia summis labiis loquutum, putes (quique coætaneis meis est mos) per auctorum vireta captare flosculos; quod viro turpe ait Seneca, nobis ita permissum putant, ut nihil videatur in adolescentia formosius. Ego me non nego flosculos interdum legere, quibus inter seniorum choros (si res tulerit) uti queam. Sed ita ad optatam senectutem merita cum laude perveniam, ut ego magis omnia ad vitam æstimem, quam ad eloquentiam referenda. Et quamvis (ut est usus, ut est ingenium, ut est animus, ut est ætas) eloquentiæ studio delecter; tamen et dum aliorum bene dicta recenseo, et si quando mihi aliquid forte sonantius excidit, utrobique magis meditor, ut quidquid id est, vitæ prosit, adolescentiæque me malis expediat, quam ut verbis ornatioribus iuvenilis lingua lasciviat. Summæ quidem dementiæ videtur in id niti, ad quod forte nunquam sis venturus, et quod paucis accidit, quodque cum adeptus fueris modicum prosit, fortassis et multum noceat; illud vero negligere, quod et omnibus promptum, præ omnibus utile, damnosumque nunquam esse possit. Scimus autem magnorum auctoritate hominum, experimentoque rerum edocti, quoniam paucis bene loqui, bene vivere autem omnibus datum est. Et tamen plures illud amplectuntur, hoc fugiunt. Ita est natura hominum difficultatibus incumbere, et ea cupidius appetere quæ laboriosius parantur. Ego quidem, etsi mihi fidem ætas deroget, teste tamen conscientia, lego, non ut eloquentior aut argutior, sed ut melior fiam. Et quod de morali philosophiæ parte dixit

Aristoteles, ad omnes traho: quamquam si uterque fructus sequeretur, fortunatiorem meum laborem non negarem. Tibi autem, pater, gratias ago, qui me paterne mones, et oro ut idem sæpe facias. Sed sic habeto, me iam hinc cœpisse cognoscere cursum meum, et pericula numerare, et multos nosse decrepitos me altius humi fixos ac tenacius inhærentes. Multum me tangit illud Domitiani principis iam senescentis: *Nihil,* inquit, *gratius decore, nil brevius.* Et illud Catonis senis apud Tullium: *Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum ad vesperum esse victurum?* Et illud Virgilii tunc iuvenis iuveniliter dictum, sed vere, sed graviter, sed mature:

Collige vere rosas, dum flos novus, et nova pubes;
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Ego vero memor sum, et quamvis nondum plene possim, cogito tamen ut possum, et in dies ut profundius possim nitor. Cogito non quod aliis videor, sed quod sum, et ætatem hanc, et qualemcumque formam corporis, et reliqua (unde mihi forsan ab aliis invidetur) sentio data mihi ad periculum, ad exercitium, ad laborem. Denique (ut breviter concludam) scio me ascendere ut descendam, virere ut arescam, ut senescam adolescere, vivere ut moriar. Vale.

Avinione. Kalendis Maii.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

Gallicæ peregrinationis enarratio. Laudes Italiæ. Fabella de Carolo Magno.

Gallias ego nuper, nullo quidem negotio (ut nosti), sed visendi tantum studio, et juvenili quodam ardore peragravi: Germaniam tandem Rhenique ripas attigi, contemplatus sollicite mores hominum, et aspectu telluris incognitæ delectatus, ac singula cum nostris conferens: et licet multa utrobique magnifica viderim, me tamen Italicæ originis non pœnitet; imo (ut verum fatear) quo latius peregrinor, eo maior Itali soli subit admiratio. Quod si gratias agebat Plato Diis (ut verbo eius utar) immortalibus, inter multa, quod Græcum eum, et non alienigenam edidissent; quid nos prohibet pro eodem quoque gratias agere, ortusque nostri Deum auctorem recognoscere? nisi forte nobilius est Græcum nasci, quam Italicum: quod si quis dixerit, dicat idem et servum esse nobiliorem quàm dominum. Atqui nullus hoc Græculus quantumlibet procax impudensque dicere audebit, dum meminerit diu ante Urbem conditam, ante partum et auctum virtutibus imperium, denique ante

Romanos rerum dominos gentemque togatam,

non Italiam, sed quartam Italiæ partem eo tempore desertam et vacuam, Græcis habitatoribus possessam, Magnamque Græciam nuncupatam. Quæ enim tunc magna visa est, quam maxima, quam immensa videri po-

tuit post eversam Corinthum, post vastatam Ætoliam, post Argos et Mycenas cæterasque urbes triumphatas, post Macedoniæ reges captos, Pyrrhumque devictum, et madentes iterum Asiatico cruore Thermopylas? Credo neminem negaturum aliquanto clarius Italicum esse quam Græcum; sed de hoc forte alibi : nunc in Gallias revertamur. Parisiorum civitatem regni caput, quæ auctorem Iulium Cæsarem prætendit, introii non aliter animo affectus, quam olim Thessaliæ civitatem Hypatam dum lustrabat Apuleius. Ita enim sollicito stupore suspensus, et cuncta circumspiciens, videndique cupidus explorandique vera ne an ficta essent quæ de illa civitate audieram, non parvum in ea tempus absumpsi, et quotiens operi lux defuit, noctem superaddidi. Demum ambiendo et inhiando magna ex parte didicisse videor quis in eadem veritati, quis fabulis locus sit; quæ, quoniam longa narratio est, neque hoc loco satis explicabilis, differenda est, donec ex me omnia coram audies. Gandavum quoque (ut media sileam) eodem conditore superbum vidi, et cæteros Flandriæ Barbantiæque populos lanificos atque textores. Vidi Leodium insignem clero locum: vidi Aquensem Caroli sedem, et in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius principis sepulcrum. Ubi fabellam audivi, non inamœnam cognitu, a quibusdam templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt, et postea apud modernos scriptores accuratius etiam tractatam legi, quam tibi quoque ut referam incidit animus : ita tamen, ut rei fides non apud me quæratur, sed (ut aiunt) penes auctores maneat. Carolum regem, quem magni cognomine æquare Pompeio et Alexandro audent, mulierculam quam-

dam perdite et efflictim amasse memorant, eius blanditiis enervatum, neglecta fama (cui plurimum inservire consueverat) et posthabitis regni curis, aliarum rerum omnium et postremo sui ipsius oblitum, diu nulla prorsus in re nisi in illius amplexibus acquievisse, summa cum indignatione suorum ac dolore. Tandem cum iam spei nihil superesset (quoniam aures regias salutaribus consiliis insanus amor obstruxerat), feminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit: cuius rei ingens primum in regia, sed latens gaudium fuit; deinde dolor tantum priore gravior, quantum fœdiore morbo correptum regis animum videbant; cuius nec morte lenitus furor; sed in ipsum obscœnum cadaver et exangue translatus est; quod balsamo, et aromatibus conditum, onustum gemmis, et velatum purpura diebus ac noctibus tam miserabili quam cupido fovebat amplexu. Dici nequit, quam discors, et quam male se compassura conditio est amantis ac regis. Nunquam profecto contraria sine lite iunguntur. Quid est autem regnum, nisi iusta et gloriosa dominatio? Contra, quid est amor, nisi fœda servitus et iniusta? Itaque cum certatim ad amantem, seu rectius, ad amentem regem pro summis regni negotiis legationes gentium præfectique et provinciarum præsides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis, et obseratis foribus, amato corpusculo cohærebat, amicam suam crebro, velut spirantem responsuramque, compellans: illi curas laboresque suos narrabat, illi blandum murmur et nocturna suspiria, illi semper amoris comites lacrimas instillabat; horrendum miseriæ solamen, sed quod unum tamen ex omnibus rex, alioquin (ut aiunt) sapientissimus, elegisset. Addunt fabulæ, quod

ego nec fieri potuisse, nec narrari debere arbitror. Erat ea tempestate in aula Coloniensis Antistes; vir (ut memorant) sanctitate et sapientia clarus, nec non comitatus et consilii regii prima vox; qui domini sui statum miseratus, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus illum assidue precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere multo cum gemitu. Quod cum diu fecisset, nec desiturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti, et post devotissimas preces pectus et aram lacrimis implenti de cœlo vox insonuit: sub extinctæ mulieris lingua furoris regii causam latere. Quo lætior mox, peracto sacrificio, ad locum ubi corpus erat se proripuit, et iure potissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digito clam scrutatus gemmam perexiguo anulo inclusam sub gelida rigentique lingua repertam festinabundus avexit. Nec multo post rediens Carolus, et ex consuetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repente aridi cadaveris spectaculo concussus obriguit, exhorruitque contactum, auferri eam quantocius ac sepeliri iubens. Inde totus in antistitem conversus illum amare, illum colere, illum in dies arctius amplecti: denique nihil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod ubi sensit vir iustus ac prudens, optabilem forte multis, sed onerosam sibi sarcinam abiicere statuit, veritusque ne si vel ad manus alterius perveniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi afferret, anulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demersit. Aquis forte tum rex cum proceribus suis habitabat, ex eoque tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est. In ea

nil sibi palude gratius, ibi assidere, illis aquis mira cum voluptate, illius odore velut suavissimo delectari. Postremo illuc regiam suam transtulit, et in medio palustris limi immenso sumptu iactis molibus, palatium templumque construxit, ut nihil divinæ vel humanæ rei eum inde abstraheret. Postremo ibi vitæ suæ reliquum egit, ibique sepultus est: cauto prius ut successores sui primam inde coronam, et prima imperii auspicia capesserent; quod hodie quoque servatur, servabiturque quamdiu Romani fræna imperii Teutonica manus aget. Longior fui in hac narratione, quam debui. Sed quoniam peregrinatio longinqua librorum solatio destituta est, et in hoc perpetuo motu facilius est multa cogitare, quam grandia, iustum epistolæ modum implere seriis non valens, eam (ut vides) obviis quibusque confarcio. Vale.

Aquis, XI Kal. Julii.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

Germanicum iter enarrat, et diem festum Io. Baptistæ apud Colonienses describit.

Aquis digressum, sed prius, unde ortum oppidi nomen putant, aquis Baiano more tepentibus ablutum, excepit Agripppina Colonia, quæ ad sinistrum Rheni latus sita est: locus et situ et flumine clarus et populo. Mirum in terra barbarica quanta civilitas, quæ urbis species, quæ virorum gravitas, quæ munditiæ

matronarum! Forte Iohannis Baptistæ vigilia erat, dum illuc applicui: et iam ad occidentem sol vergebat. Confestim amicorum monitu (nam et ibi amicos prius mihi fama pepererat, quam meritum) ab hospitio traducor ad fluvium, insigne spectaculum visurus. Nec fallebar: omnis enim ripa præclaro et ingenti mulierum agmine tegebatur. Obstupui. Dii boni! quæ forma! quæ facies! quis habitus! amare potuisset quisquis eo non præoccupatum animum attulisset. In loco paulo altiore constiteram unde in ea quæ gerebantur intenderem. Incredibilis sine offensione concursus erat: vicissimque alacres, pars herbis odoriferis incinctæ, reductisque post cubitum manicis, candidas in gurgite manus ac brachia lavabant, nescio quid blandum peregrino murmure colloquentes. Vix nunquam clarius intellexi quod Ciceroni placet, et veteri proverbio dici solet: inter linguas incognitas omnes propemodum surdos ac mutos esse. Unum mihi solatium gratissimorum interpretum non deerat. Nam, et hoc inter cuncta mirabere, cœlum illud spiritus Pierios alere. Itaque dum miratur Iuvenalis quod

> Gallia causidicos docuit facunda Britannos,

miretur itidem

> Docta quod argutos aluit Germania vates.

At, ne me auctore fallaris, scito ibi nullum Maronem esse, Nasones plurimos; ut dicas verum fuisse præsagium, quod in fine libri Metamorphoseos multum vel posteritatis gratiæ vel ingenio suo fidens ponit. Siquidem qua Romana potentia, seu verius, qua Romanum nomen domito orbe se porrigit, plausibiliter nunc faventis populi ore perlegitur. His ego comitibus ubi quid audiendum,

seu respondendum incidit, pro lingua et pro auribus usus sum. Unum igitur ex eo numero admirans, et ignarus rerum percontatus Virgiliano illo versiculo :

Quid vult concursus ad amnem,
Quidve petunt animæ?

responsum accepi: Pervetustum gentis ritum esse, vulgo persuasum præsertim femineo, omnem totius anni calamitatem imminentem fluviali illius diei ablutione purgari, et deinceps lætiora succedere. Itaque lustrationem esse annuam inexhausto semper studio cultam colendamque. Ad hæc ego subridens: O nimium felices, inquam, Rheni accolæ, quorum ille miserias purgat: nostras quidem nec Padus unquam valuit purgare, nec Tibris. Vos vestra mala Britannis, Rheno vectore, transmittitis; nos nostra libenter Afris atque Illyricis mitteremus. Sed nobis (ut intelligi datur) pigriora sunt flumina. Commoto risu, sero tandem inde discessimus. Proximis aliquot diebus a mane ad vesperam civitatem iisdem ducibus circumivi: haud iniucundum exercitium, non tam ob id quod ante oculos erat, quam recordatione nostrorum maiorum, qui tam procul a patria monumenta Romanæ virtutis tam illustria reliquissent. In primis autem occurrebat Marcus Agrippa coloniæ illius auctor, qui licet multa domi, multa foris præclara construxerit, illam tamen ex omnibus dignam censuit, cui suum nomen imponeret, ædificator ac bellator egregius, dignusque habitus, quem Augustus in generum ex toto orbe deligeret, qualiscumque filiæ virum, sed dilectæ, sed unicæ, sed augustæ. Vidi tot simul trunca millia sacrarum virginum, et terram generosis dicatam reliquiis, ac degenerum (ut

aiunt) cadaverum expultricem. Vidi Capitolium, effigiem nostri; nisi quod pro senatu illic pacis ac belli consilia agitante, hic formosi iuvenes ac puellæ mixtim nocturnas laudes Deo concinunt æterna concordia: ibi rotarum et armorum strepitus, ac gemitus captivorum; hic quies et gaudium, et iocantium voces; denique illuc bellicus, huc pacificus triumphator ingreditur. Vidi templum urbe media pulcherrimum quamvis inexpletum, quod haud immerito summum vocant. Magorum ibi regum corpora ab ortu ad occasum tribus saltibus transvecta, quos æthereum quondam regem ad præsepia vagientem cum muneribus veneratos legimus, venerabundus aspexi. Parumper hic, pater optime, et pudoris mei metas excessisse videor, et plura collegisse, quam necesse erat. Utrumque fateor: sed mihi nil tam necesse est, quam ut imperio tuo paream. Inter multa sane quæ abeunti iusseras, hoc fuit extremum; ut de terris ad quas ibam, et de singulis quæ vidissem audivissemque, perinde te certiorem scripto facerem ac verbo soleo, nec calamo parcerem, nec brevitati vel ornatui studerem, neve floridiora decerperem, sed cuncta complecterer: denique Tulliano verbo usus, *scribe*, dixisti *quidquid in buccam venerit*. Promisi me facturum; promissum crebris ex itinere litterulis implesse videor. Si iussisses loqui de altioribus, temptassem: nunc epistolæ officium reor, non ut scribentem nobilitet, sed ut certificet legentem. Quod si omnino videri volumus, ostendamus nos in libris, in epistolis colloquamur. Procedo. Ad II. Kalendas Iulias Colonia discessi tanto sole ac pulvere, ut sæpe *alpinas nives ac frigora Rheni* a Virgilio requirerem. Inde Arduennam silvam scriptorum testimonio pridem mihi co-

gnitam, sed visu atram atque horrificam transivi solus, et (quod magis admireris) belli tempore. Sed incautos (ut aiunt) Deus adiuvat. Ac ne longum iter vix equo peractum calamo remetiar, multis ego regionibus ambitis, hodierno die Lugdunum perveni. Nobilis et ipsa Romanorum colonia est paululumque vetustior Agrippina. Duo hic noti amnes in nostrum mare currentes, Rhodanus Ararisque conveniunt: Sonnam incolæ appellant. Sed de his nihil amplius: iuncti enim ad te properant, alter cogenti, alter coacto similis, et Avenionem, ubi te nunc ac genus humanum Romanus Pontifex detinet, permixtis vadis abluunt. Huc ego cum mane pervenissem, et intranti forte familiaris hic tuus occurrisset, mille eum quæstiunculis (ut mos est peregre redeuntium) aggredior. Ille autem nihil ad reliqua: sed præclarissimum fratrem tuum, ad quem maxime properabam, sine me Romam petiisse narravit. Quo audito, quærendi veniendique ardor repente deferbuit. Hic igitur expectare in animo est, donec et æstas ipsa deferveat, quam hucusque non senseram, et me vegetiorem quies faciat, qui me fessum esse hoc ipso primum loquente perpendi. Nulla quidem fatigatio maior quam animi est: quod si reliqui itineris tædium subierit, Rhodanus mihi pro vehiculo erit. Interim ut noris ubi sum, hæc tibi festinante nuntio transcurrere (*sic*) non piguit. De fratre item tuo, duce olim, nunc (da dolori veniam) desertore meo, nusquam alibi quam apud ipsum conqueri visum est. Quam querelam ut sibi quam primum mitti iubeas oratus facito. Et vale nostri memor.

Lugduni, V Idus Augusti.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA IACOBO COLUMNÆ EPISCOPO LOMBERIENSI S. P. D.

Familiariter conqueritur quod, eo non expectato, Romam petierit. Multa de fide et taciturnitate commemorat.

Revertebar e Germania, et iam Lugdunum perveneram, precum tuarum et desiderii mei uncis retrahentibus, non tam poetico aut physico, quam cursorio more festinans. Illi cursui meo molestissimum frænum adhibuit insperatus rumor: aufugisse te, absentiæ meæ velut opportunitate captata, et sine me Romam petiisse: quod profecto nunquam facturum esse promiseras. Quid dicam? Amante non amato nil reor esse miserius. Quomodo autem te, seu quibus primum verbis aggrediar? Suspitiosum ne, an tuorum contemptorem putem? Nihil moribus minus tuis convenit. Obliviosum querar, mirator ipse memoriæ tuæ? Fidefragum dicam? sed notissima fides tua est. Quid ergo? Tu culpæ nomen invenies, et te ipsum condemnabis, vel si libet absolves: apud tribunal tuum tecum agitur: tu idem et reus et testis et iudex eris. Sede igitur, et mecum aliquantisper æquo iure discepta. Æquat enim amor imparia: quod si contra me forte lingua tua pronuntiaverit, ad conscientiam provocabo. Responde dolori meo quærenti: Cur tu Romæ, ego in Gallia sum? Quid tanto divortio dignum feci? An ut inutilis et inamœna sarcina in tergum abiicior? De utilitate quidem videris: de reliquo (quoniam dolor ingens libertatis assertor esse solet) ipse pronuntio. Nulla igitur (si te novi) amœnior, nulla curis tuis opportunior

tecum est: Lælii mei et cæterorum pace dixerim, quibus ut me æquare audeam superba forsitan fortuna illorum cogit, et dolor mei. Ego enim te mundo prætuli; tu mihi, quæso, quid non præfers? An timuisti ne secretum tuum ex me in vulgus erumperet? Ita ne rimosum expertus es, ita infirmi ac futilis animi, cui tam facile commissa diffluerent? Egisti incaute, qui mihi totiens graviora credideris. Sed (crede mihi) quoniam hodie (ut video) dolor verecundiam superat; crede, inquam, mihi, pater optime, nullius (quem quidem ego noverim) fido silentio secundus sum. Nemo me ideo quod secreta non teneam, ne dicam fideli amicitiæ, sed vel senatorio gradui, vel sacerdotio Cereris inhabilem arguerit. Legimus apud Persas nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius. Itaque illud vel morte custodiunt, hanc morte castigant. Non est qui, quocumque supplicio, sui regis pandat arcanum. Si quis forte contrafecerit, nullo non supplicio dignus habetur. Præclare. Quid enim omnino facilius quam tacere? Ad quid ergo utilis, aut cui magnæ rei sit habendus idoneus, qui rem longe facillimam implere nequiverit? An vero occupationes meas interrumpere noluisti? Conversatio igitur longæva quid profuit? Nondum intelligis non esse me de illorum grege, qui (ut ait Flaccus) brevi fortes iaculantur ævo multa, qui terras alio calentes sole permutant, qui penetrant aulas et limina regum, velut Virgilius ait, qui animum suum in frusta discerpunt, huic arrident, illi serviunt, neminem ex integro diligunt, nulli plene confidunt? Certe ego qui sim nescio. Valde enim in iudicio rerum nostrarum fallimur; sed ut sim de grege nihil optantium, magnopere laboro; de multis nunquam

speravi: sciebam enim quod qui paucorum similis fieri studet, multis fiet invisus. Spes et occupationes meæ in te hactenus sitæ erant. In quo si me diutius errare non es passus, perurbane mecum agi non negaverim, quod alienationem animi tui non contumelioso quidem actu, non verbo aspero, non gravi supercilio, sed fugæ silentis inditio perceperim. Sin experiri aut inflammare desiderium meum cogitasti, vide ne adversus imbecillem animum nimis aculeatum ludi genus elegeris. At forte indulgentior causa est: pepercisti, arbitror, labori meo, veritus ne fastidio pelagi impar essem, et, quoniam id tibi quoque restat iter per siticulosam Apuliam, sub æstivo sole deficerem. Sed quæso: nonne hoc tuo de me iudicio iniuriosus es famæ meæ? Ubi ego hanc opinionem merui? quis me labor fregit aut terruit? Sola videndi dulcedo per ignotam me barbariem circumducit: per Italiam, cedo, pulchra necessitas non duxisset? Sub Pyrenæis olim collibus ut tibi comes essem, nisi meminisse pudet, quantis me precibus ac blanditiis onerasti? Quamquam (ut verum fatear) sequebar ego prope cupidius, quam detrahebar. Quid ita nunc sub Apennini iugis comes esse non merui, nisi forte inertiam meam illa peregrinatio patefecit? Tu vero quotidie mirabaris unde ea laborum patientia in litterarum otio mihi nato ac nutrito; præsertim cum et anni tempus esset adversum, et vepricosum iter, et inculta regio (quodque super omnia nos angebat), conversatio dura et multum nostris moribus aliena. Sed forte (quoniam sensim ratiocinatio ad verum ducit) non quæcumque potuimus, possumus. Dies auget, dies imminuit: ab ea peregrinatione quarta nunc æstas agitur: triennio senior factus sum; quod

tempus non tantum mutando corpusculo mortalis hominis, sed evertendis imperiis atque urbibus late patet. Ludo tecum (ut vides). Magnus interdum dolor, ubi lamenta defuerint, in iocos vertitur. Omnis quidem dies, fateor, gradus est ad mortem, et vagientes in cunabulis infantes crescendo pariter senescunt. Neque tamen ea ætas est mihi, quæ naturale detrimentum sentiat, quippe quæ nondum plena est. Itaque crescentibus adhuc annis provehor, multoque et membris et animo validior in dies fio: quamvis non ignorem quid sequetur. Viator enim quo altius ascendit, eo descensui proximior fit, et (si dici fas esset) quodammodo ascendendo descendit. Idem mihi accidit. Interim tamen ascendo. Quæ cum ita sint, idoneam facti tui causam forte tu noveris; ego eam palpitabundus inquiro, nec invenio. Et hoc uno vel maxime amare me intelligo: quod amantium mos est primis quidem offensionibus moveri: mox, ubi flammam extinguere non datur, ad excusationum medicamenta confugere, et quod acrius factum dolent, vel nequaquam factum, si liceat, vel bono animo factum dicere. Hoc igitur ago si possum, ut iure desertus videar. Quod utinam mihi persuadeam. Et profecto fieri posset, ut tu nec profectionem meam impedire volueris, nec potueris reditum expectare; et cum me ab amplexu tuo lacrimantem dimitteres, novam mihi gemendi materiam inculcare nolueris. Vellem inclementior fuisses; pietas enim tua in contrarium versa est. Inexpectato nil hoste nocentius, et intempestiva quælibet graviora sunt. Unde si absque fletibus esse non poteram, melius tunc flevissem: quoniam natura hoc habet, ut abeuntium potius quam redeuntium comites lacrimas videamus. Tu, pre-

cor, quamprimum cogita, qualiter te mihi exundanti illo defendas eloquio. Quam vere, nihil ad rem: modo verisimiliter satis erit. Credere parato nulla inefficax persuasio est. Interim facilius inducar, ut tuæ culpæ ignoscam, quam fortunæ meæ. Vale nostri memor.

Lugduni, V Idus Augusti.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Detestatur dialecticorum inanem et contentiosam petulantiam.

Temerarium est cum eo hoste confligere, qui non tam victoriam appetit, quam certamen. Scribis quemdam senem dialecticum litteris meis vehementissime permotum, quasi artificium suum ego damnaverim: ideo palam fremere et minari multa se quoque in studia nostra suis litteris invecturum: eas te litteras multis nequidquam mensibus expectasse. Noli eas expectare amplius; crede mihi; nunquam venient. Hoc modestiæ remansit, sive is stili pudor, sive ignorantiæ confessio est. Lingua implacabiles calamo non contendunt. Nolunt apparere quam frivola sunt quibus armantur: ideoque more Parthico fugitivum pugnæ genus exercent, et volatilia verba iactantes, quasi ventis tela committunt. Cum his, ut dixi, suo more contendere temerarium est; quippe qui summam voluptatem ex contentione percipiunt: quibus non verum invenire propositum est, sed altercari. Atqui Varronis proverbium est: Nimium altercando veritas amittitur. Noli autem trepidare ne in apertum scripturæ solidique colloquii campum descendant. Hi sunt

enim, de quibus Quintilianus inter *Institutiones oratorias* loquebatur; quos reperias in disputando mire callidos; cum ab illa cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo graviore actu quam parva quædam animalia, quæ, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur: merito itaque campum timent. Verum est enim illud eiusdem, diverticula et anfractus suffragia esse infirmitatis; ut qui cursu parum valent, flexu eludant. Tibi vero, amice, unum hoc dixisse velim. Si virtutem, si veritatem sequeris, id genus hominum vita. Sed quonam fugiemus a facie insanorum, si ne insulæ quidem tutæ sunt? Ergo nec Scylla nec Charybdis obstiterit, quominus hæc pestis in Trinacriam transnataret? Imo vero iam insularum peculiare malum est, si dialecticorum agmini Britannico Ætnæa nunc novorum Cyclopum acies accesserit. Hoccine est quod in cosmographia Pomponii legeram, Siciliæ maxime similem esse Britanniam? Ego quidem putabam similitudinem hanc in terrarum situ, ac prope triangulari utriusque specie, et fortasse etiam in circumfusi maris perpetua collisione consistere. Nihil de dialecticis cogitabam. Audieram Cyclopas primum, postea tyrannos, utrosque feroces incolas: tertium monstri genus advenisse non noveram armatum enthymemate bisacuto, et ipso Taurominitani litoris fervore procacius. Unum sane et ego pridem animadverteram, et tu nunc admones, eos sectam suam Aristotelici nominis splendore protegere. Dicunt enim Aristotelem ita solitum disputare. Est, fateor, qualisqualis excusatio clarorum ducum inhæsisse vestigiis: nam et Marcus Tullius non invitum se cum Platone, si oporteat, erraturum dicit. Sed falluntur. Aristoteles enim vir ar-

dentis ingenii de rebus altissimis vicissim et disputabat et scribebat. Alioquin unde huius tam multa volumina summo studio, et tantis exhausta vigiliis, inter multorum et præsertim illius fortunati discipuli graves occupationes, et in ætate non longa? siquidem circa illum apud scriptores infamem, tertium scilicet et sexagesimum vitæ annum defunctum accepimus. Isti autem cur a duce suo tam diversi abeunt? Cur, quæso, Aristotelicos dici iuvat? et non potius pudet? Nihil illi tanto philosopho dissimilius homine nihil scribente, parum intelligente, multumque et inutiliter clamante. Quis illas conclusiunculas non rideat, quibus litterati homines se simul et alios fatigant: in quibus omnem ætatem conterunt: quippe ad alia inutiles, ad hoc ipsum præcipue damnosi; qualia sunt quæ a Cicerone et a Seneca pluribus locis irridentur? Quale est illud Diogeni propositum, quem dum contumeliosus dialecticus verbis esset aggressus hoc modo: *Quod ego sum*, *id tu non es;* annuissetque Diogenes: ille subiunxit: *Homo autem ego sum;* cum id etiam non negasset, conclusionem subintulit cavillator: *Homo igitur tu non es.* Enimvero, *Ultimum hoc*, inquit Diogenes, *falsum est: et si verum fieri vis, a me incipe.* Multa sunt id genus perridicula, in quibus quid quærant, famam an oblectamentum, an bene beateque vivendi consilium, sciunt ipsi forsitan, mihi nihil ignotius. Nam lucrum haud digna studiorum merces nobilibus ingeniis videri debet. Mechanicorum est lucra captare; honestarum artium generosior finis est. Dum hæc audiunt, irascuntur. Est enim fere multiloquium contentiosi hominis iracundiæ proximum. Ergo, inquiunt, dialecticam tu condemnas. Absit: scio enim

quantum illi Stoici tribuant: secta philosophorum fortis et mascula, cuius cum sæpe alias, tum in libro *De finibus* Cicero noster meminit. Scio quod una liberalium est, et gradus ad alta nitentibus; interque philosophorum dumeta gradientibus, non inutilis armatura: excitat intellectum, signat veri viam, monstrat vitare fallacias, denique, si nihil aliud, promptos et perargutulos facit. Hoc ita esse non inficior; sed non statim qua honeste transimus, laudabiliter immoramur. Quin imo viatoris insani est amœnitate viarum metam, quam destinaverat, oblivisci. Multa cito transiisse, et nusquam citra terminum substitisse viatoris laus est. Et quis non viator ex nobis est? Brevi omnes adversoque tempore tamquam hiberno pluvialique die longum ac difficile iter agimus; cuius dialectica pars esse potest, utique terminus non est: et potest pars esse matutina, non serotina. Plurima quidem honeste fecimus, quæ turpissime faceremus. Si enim dialecticæ scholas, quod in eis pueri lusimus, senes relinquere nescimus, eodem iure nec par impar ludere, nec arundine tremula equitare pudeat, nec rursus cunis infantilibus agitari. Sunt miræ varietates rerum ac vicissitudines temporum, quas occurrens natura fastidio, vigilantissimo artificio, medicata est: eas non putes in anni tantum circulo, sed multo magis in longa ætate reperiri. Ver floribus et arborum comis, æstas frugibus dives est, autumnus pomis, hyems nivibus abundat. Hæc modo non tantum tolerabilia sed grata, si pervertantur, fient, concussis naturæ legibus, importuna: et nemo erit, qui vel hyemis glaciem æquo animo per æstatem perferat, vel solis ardorem alienis mensibus sævientem. Sic nemo reperitur qui vel senem

infantibus colludentem non oderit, aut rideat, vel puerum canum aut podagricum non miretur. Quid autem, quæso, ad omnem disciplinam tam utile, imo tam necessarium est, quam ipsarum litterarum prima cognitio, in quibus omnium studiorum fundamenta consistunt? Sed ex diverso, quid sene ridiculosius in talibus occupato? Tu ergo senis tui discipulos meis verbis excita; neque deterreas, sed hortare, non quidem ut ad dialecticam, sed ut per eam ad meliora festinent. Seni autem dic, non me liberales artes damnare, sed senes pueros. Ut enim nihil elementario sene turpius, quod ait Seneca, sic nihil dialectico sene deformius. Et si syllogismos eructare cœperit, fuge, consulo, ac iube illum disputare cum Encelado. Vale.

Avinione, V Idus Martii.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Quid de inventione et de ingenii vi sentiendum sit.

Quid agendum tibi sit consulis in eo statu in quo fere omnis scribentium turba est: quando et sua cuique non sufficiunt, et uti pudet alienis, et interim a scribendo cessare non sinit ipsa rerum dulcedo, insitaque mortalium animis gloriæ cupiditas. Sic itaque perplexus atque hæsitans ad me redis. Primum omnium consultius fuerat certiorem adiisse consultorem, a quo vel multa et varia, vel unum quodcumque optimum et electissimum esset, accepisses. Enimvero nunc ad ostium

pauperis pulsasti: unde tamen, me volente, non animo vacuus abibis. Quod ab alio mendicavi, id tibi libens impertiar. Mihi quidem, fateor, de hac re non amplius quam unicum consilium est. Quod si fortassis inefficax experimento deprehenderis, Senecam culpabis; at si efficax, sibi, non mihi, gratiam referes. Denique in omnem eventum illum non quidem solum; nam et hoc ante Flaccus dixerat, et (quod satis auguror) ante Flaccum alii, quod quaerendi nunc otium non est; sed expressiorem habeas velim consilii huius auctorem. Cuius summa est: apes in inventionibus imitandas, quae flores non quales acceperint, referunt; sed ceras ac mella mirifica quadam permixtione conficiunt. Eius autem non sensum modo, sed verba Macrobius in Saturnalibus posuit, ut mihi quidem uno eodemque tempore, quod legendo simul ac scribendo probaverat, rebus ipsis improbare videatur. Non enim flores apud Senecam lectos in favos vertere studuit, sed integros, et quales in alienis ramis invenerat protulit. Quamquam quid alienum ego aliquid dixerim, licet ab aliis elaboratum, quum Epicuri sententia sit ab eodem Seneca relata, quidquid ab ullo bene dictum est non alienum esse, sed nostrum? Non est itaque cur Macrobius culpandus sit quod magnam epistolae unius partem in procemio operis illius non tam transtulit, quam transcripsit. Id enim et mihi forsan interdum, et multis maioribus accidit. Sed illud affirmo, elegantioris esse solertiae ut, apium imitatores, nostris verbis, quamvis aliorum hominum, sententias proferamus. Rursus, nec huius stilum aut illius, sed unum nostrum conflatum ex pluribus habeamus. Felicius quidem non apium more passim sparsa colligere, sed quorumdam

[redacted]

haud multo maiorum vermium exemplo, quorum ex visceribus sericum prodit, ex se ipso sapere potius et loqui, dummodo et sensus gravis ac verus, et sermo esset ornatus. Verum quia hoc aut nulli prorsus aut paucissimis datum est, feramus æquanimiter ingenii nostri sortem, nec altioribus invidentes, nec despicientes qui infra nos sunt, nec paribus importuni. Scio autem quid tu nunc tacitus dicis. Homo hic me a studio retrahit, et ab industria dehortatur, dum patienter ignorantiam ferre docet. Ego vero nihil magis cavendum arbitror, quam ne ignavia consenescat ingenium. Licet enim Cicero scribat videri sibi homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis præstare, quod loqui possunt: tamen id vel oratori ad commendationem artis, quam tradebat, indulgendum fuit; vel sic accipiendum, ut ipsum *loqui posse* sine prævio intellectu esse non possit. Alioquin multo mihi potius videntur in eo præcellere, quod intelligere, quod multa scire ac meminisse possunt; quod belluis natura non tribuit, tametsi aliquam intellectus, discretionis et memoriæ similitudinem habere videantur. Quid ergo? Hortor atque obsecro, ut omni vigilantia et summis viribus animi tenebras, ignorantiam depellamus, enitamurque in terris aliquid addiscere, quo via nobis ad cœlum fiat. Sed interdum meminerimus, si forte (quia non omnes uno sidere nascimur) tarditati nostræ iter ad summa non panditur, decere nos ingenii terminis esse contentos, quos Deus nobis et natura præfixerint. Quod nisi fecerimus, nunquam sine mentis anxietate futuri sumus. Quamdiu enim in cognitionem rerum ibimus, quod iter nunquam intermittere usque ad extremum spiritum debemus, novi

quotidie recessus apparebunt, ad quos se ignorantia nostra porriget. Hinc mœror et indignatio, et contemptus nostri; quas latebras quoniam vulgus indoctum non videbit, lætius deget atque tranquillius. Ita fiet ut scientia, quæ ingens causa sacræ delectationis esse debuerat, molestissimam sollicitudinem inferat, et vitam, cuius se ducem pollicebatur, interimat. Adsit ergo cunctis in rebus modestia. Illa nobis suadebit, ut non in his solum quæ fortunæ aut corporis dicuntur, sed in his etiam quæ animi bona sunt, quæcumque nobis portiuncula obvenerit, de modicis quoque non modicas grates agere consuescamus largitori æterno, qui optime quid nobis expediat videt, idque largitus est, non quod delectabilius, sed quod oportunius novit. Et nimirum, sicut iure laudatur senex paucorum ille iugerum, qui *regum æquabat opes animo;* sic ille laudabitur deformis, hebes, aut balbus, qui Alcibiadis formam animo, qui Platonis ingenium, aut eloquentiam Ciceronis æquaverit. Cui igitur ingenium deest, non desit æquanimitas; cui adest, adsit et moderatrix rerum omnium discretio, ut incorrupto iudicio vires suas æstimet: ne forte sibi blandiens et ipse se fallens, importabili fasce prægravet, contra illud quod in arte poetica scriptum est:

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
> Quid valeant humeri.

Nempe adiuvandum studio ingenium est, et meditationibus sublevandum, sed minime cogendum quo non possit ascendere. Alioquin præterquam quod conatus erit irritus, sæpe accidet ut dum impossibilia cupimus,

possibilia negligamus. Dictum breve, sed utile (nisi fallor) et memorabile inseram, quod apud Quintilianum, acutissimum virum, legi: quod quoniam breviter ac dilucide ab eodem scriptum erat, mutare verba non libuit. *Accidit enim*, inquit, *etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur, et in silentium usque descendant, nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Iulium Secundum illum æqualem meum, atque a me (ut notum est) familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit Iulius Florus in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioquin inter paucos disertus, et dignus illa propinquitate. Is quum Secundum, scholæ adhuc operam dantem, tristem forte vidisset, interrogavit quæ causa frontis tam obductæ; nec dissimulavit adolescens tertium iam diem esse, ex quo, omni labore, materiæ ad scribendum destinatæ non inveniret exordium; quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens: Numquid tu, inquit, melius dicere vis quam potes?* Hoc nepoti suo Florus. Quintilianus autem nobis, imo omnibus, *ita*, inquit, *se res habet. Curandum est ut quam optime dicamus; dicendum tamen pro facultate; ad profectum enim opus est studio, non indignatione.* Quod consilium ab eloquentia ad actus alios vitæ hominum multipliciter trahi potest. Sed quoniam de ingenio facundiaque sermo erat, utriusque rei, ut cæterarum omnium, divitiae et paupertas æquo animo ferendæ. Si quem sane tam benigno lumine astra respexerint, ut ipse sibi sine externæ opis adminiculo satis sit, et per se ipsum magnificos sensus possit exprimere; multum habet quod dono gratiæ cœ-

lestis adscribat, caveat insolentiam, et cum multa humilitate fruatur muneribus Dei, et suum apibus morem linquat. Nos autem, quibus non tam magna contigerunt, apes imitari non pudeat. Illæ quidem, ut Virgilius noster ait,

Venturæ.... hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt.

Experiamur et nos dum tempus est, dum fervet ætas, et viget ingenium. Non expectemus donec frigus senectutis obrepat, et æstivæ claritati nubila hiberna succedant. De apibus apud eumdem poetam legimus, quod eas

æstate nova, per florea rura
Exercet sub sole labor.

Et iterum alio loco, quod illæ

in pratis, æstate serena,
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.

Si volumus itaque consilium ad utilitatem nostram latius extendere, quæcumque de apibus scripta sunt, ad humanæ inventionis industriam referamus. Æstas nostra quid est aliud, nisi ætas ista flagrantior? Rursus: quid est algenti brumæ similius, quam senectus? Quem vero tunc nobis huius temporis aut otii fructum sperandum esse proponimus, quas ingenii messes, si nunc facie laboris exterriti cessamus? Quid ex horreis nostris posteritas feret, si desidia torpente consistimus?

Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono.

Sed ne ab apibus ad colonos dilabatur oratio, nunc po-

tius, nunc in pratis, et per rura multorum, floribus variis insidamus. Perscrutemur doctorum hominum libros, ex quibus sententias florentissimas ac suavissimas eligentes, candida circum lilia fundamur: idque sicut indefesse, sic modeste leniterque faciendum est. Studiorum nostrorum, non inanem vulgi gloriam ventosæ contentionis argutiis partam, sed veritatis affectum ac virtutis, honestiorem terminum statuamus. Licet (mihi crede) sine clamosis altercationibus scire aliquid. Non facit clamor, sed meditatio doctorem. Profecto itaque, nisi videri magis quam esse propositum nobis est, non tam plausus insanæ multitudinis, quam veritas in silentio placebit, erimusque tenui sono protulisse nobis ipsis interdum authenticarum scripturarum verba contenti. Atque ita non fragore resonabit,

Sed strepet omnis murmure campus.

Et quoniam, ut vides, liberalius ago quam dubitationis tuæ necessitas exigebat, aliud etiam præmissis addiderim, ut omne locum fugias, ubi aut turpiter, aut cum pompa vivitur, et ad solius famæ popularis arbitrium: nec minus tibi quam apibus pestiferum scias habitaculum, aut

Ubi odor cæni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Neque tibi soli hoc dictum putes, sed omnibus, quicumque in aliqua rerum laudabilium inventione versantur. Duobus his præcipue, nobilia multorum suffocantur ingenia, libidinum consuetudine et opinionum perversitate vulgarium. Dum enim illa sedet intrinsecus, exterius

ista circumsidet, enervatur animus, et longius ab ipsa veritatis agnitione distrahitur. Hæc visa sunt de apium imitatione quæ dicerem, quarum exemplo, ex cunctis quæ occurrent, electiora in alveario cordis absconde; eaque summa diligentia parce, tenaciterque conserva, ne quid excidat si fieri potest. Neve diutius apud te qualia decerpseris maneant, cave. Nulla quidem esset apibus gloria, nisi in aliud, et in melius, inventa converterent. Tibi quoque, si qua legendi meditandique studio repereris, in favum stilo redigenda suadeo. Hinc enim illa profluent quæ tibi iure optimo et præsens et ventura ætas attribuet. Atque, ut nullos hodie flosculos nisi ex Virgilianis carpamus arboribus,

hinc anni tempore certo
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.

Vale.

III Idus Aprilis.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Eloquentiam et animi æquitatem cæteris rebus esse anteponendam.

Animi cura philosophum quærit; eruditio linguæ oratoris est propria. Neutra nobis negligenda, si nos, (ut aiunt) humo tollere, et per ora virum volitare nobis propositum est. Sed de priore alibi; magna enim res est, et labor ingens, sed messis uberrima. Hoc loco (ne in aliud exeam quam quod me ad calamum traxit) exhortor ac moneo, ut non vitam tantum et mores (quod

primum virtutis est opus), sed sermonis etiam nostri consuetudinem corrigamus; quod artificiosæ nobis eloquentiæ cura præstabit. Nec enim parvus aut index animi sermo est, aut sermonis moderator est animus; alter pendet ex altero. Cæterum ille latet in pectore; hic exit in publicum: ille comit egressurum, et qualem esse vult fingit; hic, egrediens, qualis ille sit nuntiat: illius paretur arbitrio; hujus testimonio creditur: utrique igitur consulendum est, ut et ille in hunc sobrie severus, et hic in illum veraciter norit esse magnificus. Quamquam ubi animo consultum fuerit, neglectus esse sermo non possit; sicut, ex diverso, adesse sermoni dignitas non potest, nisi animo sua maiestas adfuerit. Quid enim attinet quod Ciceronianis te fontibus prorsus immerseris? quod nulla te neque nostrorum scripta prætereant? Ornate quidem, lepide, dulciter, altisone loqui poteris; graviter, severe, sapienterque, et, quod super omnia est, uniformiter certe non poteris. Quoniam nisi primum desideria invicem nostra conveniant (quod, præter sapientem, scito nemini posse contingere), illud necesse est, ut, dissidentibus curis, et mores et verba dissideant. At bene disposita mens instar in monte serenitatis, placida semper ac tranquilla est. Scit quid velit, et quod semel voluit, velle non desinit. Itaque tametsi oratoriæ artis ornamenta non suppetant, ex se ipsa magnificentissima et certa, sicut consona, elicit. Negari autem nequit quiddam singularius emergere quotiens, compositis primum animi motibus, quibus æstuantibus nihil feliciter eventurum sperare licet, eloquentiæ studio tempus impenditur; quæ si nobis necessaria non foret, et mens, suis viribus nisa, bonaque sua in silen-

tio explicans, verborum suffragiis non egeret; ad cæterorum saltem utilitatem, quibuscum vivimus, laborandum erit: quorum animos nostris colloquutionibus plurimum adiuvari posse non ambigitur. Instabis autem, et dices: heu quantum et nobis tutius et illis efficacius fuerat suadere, ut eorum oculis nostræ virtutis exempla præberemus, quorum illi pulchritudine delectati, ad imitationis impetum raperentur! Natura enim hoc habet, ut multo melius, multoque facilius factorum, quam verborum stimulis excitemur; perque hanc viam expeditius ad omnem virtutis altitudinem consurgamus. Ego vero non adversor. Quid enim de hoc sentirem iam tunc intelligere potuisti, quum in primis animum componendum esse præmonui. Non equidem sine causa reor dixisse Satyricum:

prima mihi debes animi bona:

non essent autem prima, si quid illa præcederet. Veruntamen quantum quoque ad informationem humanæ vitæ possit eloquentia, et apud multos auctores lectum, et quotidiana experientia monstrante, compertum est. Quam multos, quibus nihil omnino loquentium exempla contulerant, ætate nostra, velut experrectos agnovimus, et a sceleratissimæ vitæ cursu, ad summam repente modestiam alienis tantum vocibus fuisse conversos? Non referam tibi nunc, quæ de hac re M. Cicero in libris Inventionum copiosius disputat; est enim locus ille notissimus: nec fabulam Orphei, vel Amphyonis interseram; quorum ille belluas immanes, hic arbores ac saxa cantu movisse, et quocumque vellet duxisse perhibetur, nonnisi propter excellentem facundiam, qua

fretus alter libidinosos ac truces, brutorumque animantium moribus simillimos, alter agrestes et duros in saxi modum, atque intractabiles animos, ad mansuetudinem, et omnium rerum patientiam creditur animasse. Adde quod hoc studio multis in longinqua regione degentibus prodesse permittimur. Ad quos nostri copia et convictus nunquam forte venturus est, sermo perveniet. Iam vero quantum posteris collaturi simus, optime metiemur, si quantum nobis contulerint maiorum nostrorum inventa meminerimus. Sed hic rursus occurres: quid enim est opus amplius elaborare, si omnia, quæ ad utilitates hominum spectant, iam ante mille annos tam multis voluminibus stilo prorsus mirabili, et divinis ingeniis scripta manent? Pone, quæso, hanc solicitudinem; nunquam te res ista trahat ad inertiam. Hunc enim metum et quidam ex veteribus nobis abstulerunt, et ego post me venturis aufero. Decem adhuc redeant annorum millia; sæcula sæculis aggregentur, nunquam satis laudabitur virtus; nunquam ad amorem Dei, ad odium voluptatum præcepta sufficient; nunquam acutis ingeniis iter obstruetur ad novarum rerum indaginem. Bono igitur animo simus: non laboramus in irritum. Non frustra laborabunt, qui post multas ætates sub finem mundi senescentis orientur: potius illud metuendum est, ne prius homines esse desinant, quam ad intimum veritatis arcanum humanorum studiorum cura perruperit. Postremo, si cæterorum hominum charitas nulla nos cogeret, optimum tamen, et nobis ipsis fructuosissimum arbitrarer, eloquentiæ studium non in ultimis habere. De se alii viderint: de me autem, quid mereantur in solitudine quædam voces familiares ac

notæ, non modo corde conceptæ, sed etiam ore prolatæ, quibus dormitantem animum excitare soleo; quam præterea delectet vel aliorum vel mea nonnunquam scripta revolvere; quantumve ex ea lectione exonerari me sentiam gravissimis acerbissimisque molestiis, non facile dicturum me speraverim. Eoque magis propriis adiuvor interdum, quo illa languoribus meis aptiora sunt, quæ conscia manus medici languentis et ubi dolor esset sentientis, apponit. Quod nunquam profecto consequerer, nisi verba ipsa salutaria demulcerent aures, et me ad sæpius relegendum vi quadam insitæ dulcedinis excitantia, sensim illaberentur; atque additis aculeis, interiora transfigerent. Vale.

Kalendis Maii.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Detestatur senem avarum.

Seniculum tuum optime valentem noveris. Mores non animo tantum, sed et corpori opitulantur. Frugalitas bonæ valetudinis soror est. Hunc, nisi fame conficitur, immortalem scito: ita siccum, et defecatum corpusculum est; ita nihil loci febribus, aut podagræ. Victum hominis aspectus ipse testatur: vultus pallor, macies, et oculorum specus, et triste supercilium, et inculta severitas. Accedit in cothurni morem subductus calceus, et attritum senio palliolum. Modo litteras nosset, philosophum aut poetam diceres: philosophicum enim tergum, tragicos pedes habet. Quidquid ad hæc

additur, supervacuum erit. Ut tamen paucis expediam, haud absimilis est seni Plautino, cuius mores atque animum mordaci sale respergens servus ille in Aularia:

Pumex (*inquit*) non æque est aridus atque hic est senex:
Quin divum atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras;
Quin, cum it dormitum, follem obstringit ob gulam
..... Ne quid animæ forte amittat dormiens.
Aquam hercle plorat, cum lavat, profundere.
Famem hercle utendam si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat;
Collegit omnia, abstulit præsegmina.
Pulmentum pridem eidem eripuit milvus;
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare plorans, eiulans,
Ut sibi liceret milvum vadarier.
Sexcenta sunt quæ memorem, si sit otium.

Haec ille. Huius autem nostri sexies sexcenta talia curiosus fabulator inveniet. Hospitem Apuleii Milonem prodigalitatis arguet quisquis hunc viderit, vel semel audierit disciplinam rei familiaris œconomicis nulli unquam philosopho cognitis regulis coarctantem. Sed nimis alienis vitiis immoramur. Redeamus ad propria. Omnes fere mortales uno morbo laboramus: extremis contrariis iactamur. Et est illud Flacci verissimum:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Quid autem interesse credimus inter Rufilli pastillos et Gorgonii hircum, aut inter Aristippi iacturam et Stallerii epigramma? Non oportet errare per devia, et longe quærere quid beatos faciat. Vitia in extremis habitant; virtus in medio sita est. Vale.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Faceta hominis famelici et parasiti descriptio.

Feliciter puto successit prima percontatio; secundam facis. Experiri vis (ut arbitror) in demonstrativo causæ genere quid possim. In laudibus potius, quam in contrario me probasses velim. Sed quando sic placitum tibi, et sine nomine res agitur, quamvis exacta periphrasis vicem proprii nominis obtineat, et hic quoque quæstioni tuæ morem geram. Is, de quo quæris, scurra vagus est, qualem describit Horatius:

> qui non certum præsepe teneret,
> Impransus, non qui civem dignosceret hoste.

In summa omnium importunissimus, qui unquam parasiticæ arti operam dederunt; nihilo tamen felicior, quam si omnium desidiosissimus foret. Non tam vel nauta scopulum, vel grandinem agricola, vel mercator furem, quam eum omnes metuunt. Omnes declinant, omnes cedunt semita, quasi oneratus spinis adveniat. Ubique vias vacuas, deserta atria, obseratas fores invenit. Perinde adventu eius fugitur, ac si in gremio bellum ferat. Nunquam tamen incommodius ista contingunt, quam hoc anni tempore: æstas utcumque pauperum portus est. Una arbor et vestem, et cibum, et tectum et cubile suppetit. Nunc quid agat? Conspirant hyems, senectus, inopia; nullus opem fert, et (quæ omnium rerum durissima) sine miseratione miseria est. Vidi illum hodie

valido aquilone iactatum. Ibat alte succinctus: *dederatque omnia diffundere ventis,* Maroneæ Veneris in morem. Si *fulvum lupi de pelle galerum,* tegmen capiti habuisset, in reliquis, Hernico a Pelasgis accepto habitu, in bellum ibat; sinistri enim pedis vestigia nudus erat. Ea rabies urgebat, ut convenire sibi posset quod apud Plautum de se præceps ille parasitus prædicat: *nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta, humerus aries:* talis erat, ita tamen ut, inter minas, diuturnæ famis vestigia cernerentur. Hominem denique (ut Plautus idem ait) *neque ieiuniosiorem, neque magis effractum fame vidi, nec cui minus procedat, quidquid facere occepit.* Postremo dum e conspectu in angiportum deflexissem, ut piraticum velut scalmum latebris evaderem, vidi illum in transitu fumi globos per nebulas exhalantem, ceu Caci speluncam, aut quamlibet Æolicarum insularum præterveherer. Audivi nescio quem tremulum atque confusum illi e faucibus erumpentem sonum; quid dicere vellet ignoro, tam concisim verba frangebat; sed puto proprios pedes ac scapulas illo satyrico solaretur elogio, *durate, atque expectate cicadas.* Habes quod optabas. Maledicum me fecisti. Vale.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Rursus in senem dialecticum invehitur.

Ecce iterum tentamur. Dialecticus tuus, ut scribis, quiescere non potest. Miraris? mirarer ego si quiesce-

ret: cuius gloria in strepitu et conviciis sita est. Sed bene habet quod nec ille scribere aliquid novit, nec ego eum hinc exaudio. Ita et aures interiecto maris ac terrarum spatio, et oculi mei illius ignorantia tuti sunt: totum importuni colloquutoris pondus in tuum caput refunditur, et merito; quoniam litteras meas dialecticis ostendisti. Ex omnibus sane, quæ de illius raucissimo latratu collegisse te dicis, hoc primum erat et maximum, quod artificium nostrum omnium minime necessarium dicit. Ecce iam virus, quod in aliis litteris minabatur, evomuit. Sed est ne hoc, quod in studia nostra se invecturum prædixerat? Præclare quidem. Artificium, inquit, vestrum ex omnibus minime necessarium. Primum de artificio viderimus. Nescio enim quid artificii nobis attribuat: sed puto de poetica eum intelligere. Hanc minime necessariam dicit; non inficior. Idem enim videtur et nostris.

Namque animis natum inventumque poema iuvandis

et Flaccus ipse testatur, et res ipsa docuit poeticam delectationi atque ornamento esse, non necessitati editam. Vivat ergo dialecticus tuus, et cornutis semper affluat syllogismis, quando et nobiscum sentit, et non est ignarus omnium, ut rebar. Sed nequaquam his terminis continetur torrens, et fervidum ingenium. Quid ergo? Rapidum enthymema contorquet. Si minus necessaria inquit, et minus nobilis. Oh quam male tegitur insania! Iam se non dialecticum modo, sed phreneticum ostendit. Ergo sutrina et pistrina, et vilissimarum mechanicarum artium (si necessitas nobilitare illas potest) nobilissimæ omnium fient. Philosophia autem et

reliquæ omnes, quæcumque beatam atque excultam et ornatam vitam faciunt, si necessitatibus vulgi nil conferunt, ignobiles. Oh doctrinam novam, et exoticam, ipsique (cuius nomen infamant) Aristoteli incognitam! Ille enim ait: necessariores quidem omnes, dignior vero nulla. Legat primum metaphysicæ librum, et inveniet. Sed ignota regione verum sequi, et scrupuloso tramite senem ire iubeo: non parvus labor. Vale.

III Idus Decembris. Ad fontem Sorgiæ.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

De obitu fratris consolatur.

Ingens scribendi negotium mihi nunc adimit virtus tua: ut enim corporis, sic animi gravius affecti, difficilior cura est. Utrique autem sano, aut nullis, aut plane levioribus remediis est opus; utque illic medico, ita hic consolatore minus, imo vero nihil, est opus. Tecum ergo, vir optime, accuratius agerem, si te fregisset aut stravisset adversitas. Nunc, cum fortunæ impetum forti animo tuleris, consolatoris mihi partes eripiens, laudatoris ac miratoris officium reliquisti. Qua in re (ut dicebam) operosioris stili mihi materiam præcidisti. Consolatio enim, ut in mœsti auditoris animum penetret, eget multa verborum maiestate, eget gravibus animosisque sententiis. Virtuti testimonium simplex et incultum sufficit; nec oportet veritatem rerum fictis adumbrare coloribus; quoniam virtus ipsa sibi plaudit, et proprio contenta præconio, alterius theatri strepitum non requirit. Veneram ad te nuper acri rumore perculsus immaturæ mortis

amantissimi fratris tui : et quam concussus esset animus tuus ex mei pectoris mansuetudine metiebar, nec cogitabam quosdam ictus invalidis tironibus fuisse mortiferos, quos sprevisset fortis et expertus miles : quosdam, alieni sanguinis effusione perterritos, exclamasse, ingemuisse, expalluisse, sæpe in ecstasim concidisse ; cum tamen interim quorum ille pectoribus emanabat, taciti et intrepidi starent, siccisque oculis vulnerum suorum fluenta conspicerent. Veneram itaque mœstus, et ad bene valentem medicus æger accesseram. Inveni faciem tuam, inter affectum debitæ pietatis ac decorem propriæ honestatis, fraternæ compassionis et virilis animi signa perferentem. Utrumque mihi placuit. Alterum mansuetudinem, alterum sapientiam tuam decet. Humanum est in morte suorum pietatis testes lacrimas fundere : virile est modum illis imponere, easque, cum aliquamdiu fluxerint, coercere. Id te utrumque, qua decuit, implcsse, vultus tui habitus designabat. Accesserunt et verba maximorum plena sensuum, ex quibus ego, qui consolandi proposito adveneram, non tam tibi opem meam necessariam cognovi, quam ipse solamen curis meis elicui. Nihil ergo consolantis in morem loquuturus, laudo, probo, admiror et stupeo magnitudinem animi tui. Fratrem optimum amisisti ; imo vero non amisisti, sed in patriam præmisisti, ad quam tibi quoque veniendum est. Sed loquamur ut vulgus, non sentiamus ut vulgus : fratrem amisisti. Non amisisses nisi foret ille mortalis. Querela est igitur non de unius hominis morte, sed de mortalitate naturæ, quæ nos ea lege introduxit in hanc vitam, ut egrederemur ad revocantis imperium.

At revocavit ante tempus, et præcipiti edicto fecisse videtur iniuriam. Nullum hic præfinitum tempus est; sine termino debitores sumus. Si essemus in diem obligati, possemus utique differre, tergiversari, et exactricis avaritiam culpare: nunc de celeritate conqueri non possumus, quasi ante diem repetatur quod, statim ut accepimus, debuimus. Sed poterat ulterius vivere. Poterat et citius mori, poterat et aliter mori: et, quamquam honesto viro nulla mors possit inhonesta contingere, poterat tamen durius mori. Iste vero sic vixit, sic mortuus est, ut Deo gratias agere debeas, et quod talem dedit, et quod taliter abstulit. Et si fata rerum humanarum ac varietatem casuum recognoscas, non solum non lugebis, sed fortassis etiam gaudebis extinctum: sæpe enim mors labores vitæ præsentis intercipit, sæpe præoccupat. Quis anxietates, solicitudines mundi huius, quis miserias, quis ærumnas et tot contumelias fortunæ, quis animi corporisque pericula, et in utrumque ius habentium morborum turbas enumeret? Quibus (etsi non omnibus premimur) semper tamen subiacemus, donec nos ab eorum potestate suprema dies exemerit. Ab his omnibus itaque frater tuus beneficio tempestivæ mortis immunis est. In hoc autem, pater benignissime, fallimur et nimis vulgariter erramus, quod morientes dicimus vitæ commodis abduci, qui tamen, si quis altius consideret, ab innumerabilibus malis morte discedunt; quod facillime possem et auctoritatibus, et rationibus, et exemplis ostendere, nisi quia longum sermonem epistolæ brevitas non capit. Iam ergo felix adolescens ista non metuit; evasit enim hinc, et mo-

dicum discessit a nobis, talem sui nominis odorem post se relinquens, ut non parva dulcedine memorantium sensus et corda permulceat. At hoc, inquiet quispiam, dolemus, quod bonum nobis et egregium virum mors præripuit: laus enim defunctorum quadam damni memoria lacrimas viventibus excutit, et inconsolabilem gemitum parit irreparabilis iactura. Non sum nescius hoc a plerisque dici solere: ego autem, ut viva voce tecum dixisse memini, longe aliter existimo. Agebatur ad supplicium Socrates iniquissimis iudicum sententiis; eoque animo ibat ad mortem, quo steterat semper in vita, magno quidem et recto, et qui fortunæ iugum ferre non posset. Lætus erat quod tyrannorum minas, quas vivendo despexerat, moriendo relinqueret. Hunc, tali constantia porrectum sibi a carnifice veneni vasculum iam labiis applicantem, multum dispariter affecta uxor avertit, cuius, inter cætera feminei ululatus, commiseratio viri erat, quod is iustus atque innocens moreretur. Quod ille audiens, et a potu tantisper in uxorem versus, *Quid ergo? an tu*, inquit, *satius putabas, nocentem et iniustum mori?* Hoc ille quidem eleganter, ut reliqua. Ego itaque (ut unde discesseram revertar), a plurimorum opinionibus aversus, sic censeo: lugendam esse malorum mortem, quæ animam simul et corpus interimit: contraque bonorum exitum gaudio prosequendum, quod eos Deus ex hac valle miseriarum misericorditer eruens, ad lætiora traduxerit. Nisi forte fratris tui mors ideo acerbior visa est, quod eum procul a finibus patriis invasit. Sed non sumus usque adeo rerum ignari: scimus a poeta verissime dictum esse, quod *Omne solum forti*

patria est. Et tamen hoc vero verius est, quod ait Apostolus: *Non habemus hic manentem civitatem, sed aliam inquirimus.* Videntur hæc sibi invicem adversa, sed non sunt. Quisque pro diversitate loquentium satis breviter quod sentiebat expressit, et quamvis aliter atque aliter, uterque tamen vere. Si poetam sequeris, non potuit frater tuus extra patriam suam mori. At si credis Apostolo, et omnes extra patriam morimur, ut sic tandem in patriam revertamur. Et sane, utramvis sententiam sequaris, nihil invenies cur de fatalis zonæ distantia conqueraris. Detur fortasse viventibus, ut, quibusdam seu honestis affectibus seu turpibus inducti, locum unum alteri præferendum esse contendant: morientium certe nihil interest ubi potissimum moriantur. Et si cui contrarium videtur, adhuc se nutricis et muliercularum erroribus imbutum norit. Interrogatus philosophus ubi sepeliri mallet, *Nihil mea interest*, respondit. *Undique enim*, inquit, *ad inferos tantumdem viæ est.* Nos, quibus adscendens Christus in cœlum adscendendi spem reliquit, dicamus aliter? Quid refert utrum in Italia, an in Galliis, an in Hispaniæ finibus, an in Rubri Maris litoribus iaceamus? Undique ad cœlum tantumdem viæ est. Illa nobis via calcanda est, arcta quidem et difficilis; sed ducem habemus, quem sequentes aberrare non possumus. Si ad illam viam spectamus, quid ad nos pertinet, ubi hanc corporum sarcinam deponamus? nisi suspicari libeat difficiliorem futuram esse longe iacentium corporum reassumptionem in die novissimo. Sed hoc religiosissima, et vere tali digna filio, mulier non timebat; quæ moriens ordinansque de sepulchro, *Ponite,*

ait, *hoc corpus ubicumque: nihil vos eius cura conturbet.* Interrogataque, numquid non procul a patria mortem formidaret, vide quid respondit: *Nihil est*, inquit, *longe Deo, neque timendum est ne ille non agnoscat in fine sæculi, unde me resuscitet.* Hæc mulier illa catholica. Nos, qui et catholici sumus et viros pollicemur, numquid muliebrius sentiemus? Sed scio quid acerrime lugeant superstites in mortibus amicorum: quod videlicet nunquam eos revisuri sint, quos summo amore dilexerunt. Paganorum sit ista credulitas, eaque non omnium, sed eorum tantum qui animas putant cum corporibus interire. Certe M. Tullius, quem paganum fuisse, sicut notissimum, ita dolendum est, credens animam immortalem, et gloriosis spiritibus post hanc vitam cœleste habitaculum patere, non hæc opinabatur. Nunquam enim M. Catonem illum senem induceret, in eo libro qui inscribitur « *Cato maior*, » sperantem, et verbis talibus utentem: *O præclarum diem, quum in illud divinorum animorum concilium cœtumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam. Proficiscar enim, non ad eos solum viros de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior.* Et rursus eodem loco quidem, inquit: *Efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi: neque eos solum convenire aveo quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi et legi et ipse conscripsi.* Hæc, et his similia, quæ apud Ciceronem Cato loquitur, satis quid uterque crederet testantur. Illi tamen utcumque crediderint, quorum magna ex parte spes inanes ac fallaces fuerant; nobis ab Illo qui et falli non potest, et fallere non novit, spes certa

præstatur, illuc tandem, quo fratrem tuum translatum confidimus, esse venturos. Sed quid interim faciam? dixerit aliquis; desiderio torqueor, amore langueo, aviditate crucior fratrem revidendi. Quid facias aliud, nisi quod facere solent, qui casu aliquo a personis carissimis avelluntur? memoriam retinent, et absentium imaginem profunda mente custodiunt: illos amant, de illis loquuntur, illis prosperum optant iter. Idem fac (et, certus sum, iam fecisti): fratrem tuum in ea parte cordis absconde, unde nulla eum pellat oblivio. Illum dilige sepultum, ut viventem dilexisti, vel etiam multo vehementius. Illum coge sæpius ad te reverti, commemoratione pia et frequenti. Precare iter ut faustum sibi contingat et, calcatis perfidi hostis insidiis, velox in patriam reditus. Neque enim hæc aut patria nostra est, aut fuerat sua, ubi et nos peregrinamur adhuc, et eum irritis votis expectavimus ad meliora properantem. Exilium est hoc: ipse in patriam profectus est. Oremus ut sospes et sine labore perveniat. Id illi prodesse poterit: id agamus: pium obsequii genus est pro defunctis orare. Lacrimæ autem sunt arma mulierum: viros non decent, nisi moderatissimæ forsan atque rarissimæ. Alioquin et fundentibus eas officiunt, et illis non proficiunt, quorum amore funduntur. Si quibus etiam nunc desiderii stimulis urgeris, cogita id diuturnum esse non posse: brevis est enim hominum vita; ut si ad nos non sit ille reversurus, nos tamen ad illum oporteat satis celeriter proficisci. *Omnia autem brevia*, ut ait Cicero, *tolerabilia esse debent*, *etiam si magna sint*. Frater tuus ereptus est mille laboribus, et verisimi-

liter speratur ad æternam requiem pervenisse, aut de proximo perventurus; nos in sæculi fluitantis agone remansimus. Quamobrem si quis propter se ipsum, quod relictus est, deflet, videat ne merito possit audire Tullianum illud: *Suis incommodis graviter angi, non amicum, sed se ipsum amantis est:* si vero propter illum, verendum est ne (ut idem ait) invidi magis quam amici sit. Hæc non tam ad informationem, quam ad gloriam tuam retuli; quoniam, sicut inceperam, gratias consolatori æterno, tu externa consolatione non indiges. Quamquam quid etiam indigenti conferre potuissent hæ litterulæ raptim de arescentis ingenii scatebris expressæ? Supervacuum est deinceps illorum exempla subtexere, qui suorum mortem fortiter tulisse memorantur. Et tamen, ut intelligas quorum ego te numeris adscribo, tantoque fretus comitatu hæreas in incepto, quantum memoria complecti potuero (pauci enim libelli me in hanc solitudinem sunt sequuti), aliquot nobiliora exempla ex omni copia vetustatis interseram. Æmilius Paulus vir amplissimus et suæ ætatis ac patriæ summum decus, ex quatuor filiis præclarissimæ indolis, duos, extra familiam in adoptionem aliis dando, ipse sibi abstulit; duos reliquos intra septem dierum spatium mors rapuit. Ipse tamen orbitatem suam tam excelso animo pertulit, ut prodiret in publicum, ubi, audiente populo Romano, casum suum tam magnifice consolatus est, ut magis metuere ne quem dolor ille fregisset, quam ipse fractus esse, videretur. Ex quo non minorem, iudice me, gloriam cepit, quam ex triumpho, quem illis diebus speciosissimum egerat: per illum enim Macedoniæ, per hoc

mortis ac fortunæ, victor apparuit. Pericles, Atheniensis dux, inter quatuor dies duobus filiis orbatus, non solum non ingemuit, sed nec priorem frontis habitum mutavit. Cato senior ille, cuius supra mentionem habui, quantum laudetur ab omnibus nullus ignorat qui modo vel tenuiter novit historias: quodque maius est, sine ulla historiarum notitia, sic iam apud cunctos huius nominis fama percrebuit, ut, eo audito, vix quidquam ad sapientiæ summam adiici posse videatur. Ita fit ut, non magis veterum iudicio, quam modernorum consensu, Cato sapientissimus habeatur. Atqui inter multa præclara hominis illius, nihil singularius admiramur, quam quod mortem filii, optimi viri, modestissime dicitur tulisse. Xenophon, filii morte nuntiata, sacrificium, cui tunc intererat, non omisit; coronam tantum, quam capite gestabat, deposuit; mox interrogans diligentius, atque audiens quod strenue pugnans cecidisset, coronam ipsam capiti reposuit, ut ostenderet de cuiusquam morte non dolendum, nisi turpiter et ignave morientis : quo metu verisimile est virum sapientem vereque Socraticum, ad primum nuntii relatum, deposuisse coronam. Anaxagoras mortem filii nuncianti *Nihil*, inquit, *novum aut inexpectatum audio: ego enim, cum sim mortalis, sciebam ex me genitum esse mortalem.* O vere dignum homine responsum! Quam multi sunt, e medio etiam philosophorum grege, qui, etsi naturæ conditionem amplecti simularent, tamen perversum moriendi ordinem taciti non tulissent! Anaxagoræ vero nihil inopinatum poterat contingere; cogitabat enim assidue (quod est apud Senecam), omnia et mortalia esse, et incerta lege mortalia. Quodque alio

quodam loco ait idem, sciebat sibi omnia restare, ideoque quidquid factum esset, dicturus fuerat: *Sciebam.* Multa nunc ultro equidem constantiæ similis exempla se offerunt; sed epistolæ modus plura non recipit. Finem igitur imponam. At si cui forsan patientia tua ab his laudatissimis actibus aliena videbitur, propterea quod tu non filium perdideris, sed fratrem, æquo animo patiar unumquemque sentire quod opinio sua fert. Ego quidem in me ipso alterum casum dumtaxat expertus sum. Filii amissionem non novi, at fraternæ necis vulnus excepi. De hoc certius loqui possum. Nihil itaque contendo, neque luctus invicem confero; sed illud scio, sæpe facilius amissum filium restaurari posse, quam fratrem. Vale.

Ad fontem Sorgiæ V. Kal. Martii.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Facilem sapienti iacturam esse sepulchri; variosque veteribus fuisse sepeliendi ritus.

Amicum bonum periisse tibi, doleo: sed magis in te rectum periisse iudicium, indignor. Neque enim aut te ipse satis viriliter, ne dicam philosophice, consolaris, aut illum qua flendus est defles, si modo quisquam viri fortis exitus non invidiosus potius quam miserabilis videri potest. Nam (ut epistolæ tuæ sensum breviter stringam) non tam mihi videris aut damnum tuum, aut amici parumper festinatam mortem (ubi parcere possem vul-

gato forsitan errori), quam genus mortis, atque inhumati corporis iniuriam, iactatum mari Ægyptio cadaver, deplorare. Hanc non vulgarem magis quam anilem querimoniam ferre non valeo. Nonne enim, quæso, de genere sepulturæ tam scrupulose sollicito, illud occurrit, *sepulchri facilem esse iacturam?* An Maronei versiculi nil aliud clamantis oblitus es, qui adeo pueris etiam notus est, ut iam in proverbium abierit? Quod si ad mortem respicis, falleris, si per hanc felicem aut miserum fieri putas. Satis est notus versus alterius poetæ: *Nemo fit morte miser.* Vita est quæ miseros facit et beatos, quam qui usque ad extremi fugam spiritus bene egit, nullo eget amplius; felix est, securus est, in portu est. Quid ergo ad summam felicitatis huius pertinere arbitraris, utrum tellus illum opprimat, an pelagus volvat, an flamma consumat? Sed, quoniam te de sepultura singulariter præque omnibus anxium intelligo, quanto tu beatiorem æstimas hunc tellure demersum, quam illum alterum fluctibus obrutum? Propter unius, credo, Virgiliani carminis horrorem, quia scilicet

Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.

Quid autem si alterius vulnera rapidi canes absumpserint? Si famelicorum grex luporum, effossis tumulis, membra discerpserint? Respondebis, ut arbitror, et hos itidem infelices. Ita iam ex omnibus felices erunt, quibus inconcussa contigerit requies sepulchri. Nihil hac opinione puerilius: cum enim cuncta provideris, negata belluis viscera infestis vermibus negare non poteris. Iam cernis, qui contactum pulcherrimorum fortassis animalium formidabas, quid a turpissimis necessario sis pas-

surus. Verum ista non adeo metuuntur, quoniam usu iam quotidiana sunt. Vides itaque (quod sæpe dicere soleo, nec mea solum est, sed illustrium philosophorum sententia), quidquid in hac vita patimur molesti, non tam ex ipsa rerum natura, quam ex nostræ mentis imbecillitate, sive (ut eorum etiam verbis utar) ex opinionum perversitate procedere. Nova timemus, usitata contemnimus. Cur, quæso, nisi quia in altero mens inermis improvisa rerum facie turbatur, in altero, frequenti meditatione, rationis clypeum fabricata est, quem asperitatibus cunctis opponeret? Respice nautarum morem, quam æquo animo patiuntur, corpora suorum in fluctus effundi. Unum de multis exemplum illustre non sileo. Lambas de Auria, vir acerrimus atque fortissimus, dux Ianuensium fuisse narratur eo maritimo prælio quod primum cum Venetis habuerunt, omnium memorabili, quæ patrum nostrorum temporibus gesta sunt: qui hostili classe conspecta, ubi pugnandi horam advenisse cognovit, numero licet inferior, tamen suos pro tempore magnifice ac breviter adhortatus, manum cum hoste conseruit. Cumque in eo congressu filius illi unicus, florentissimus adolescens, qui paternæ navis proram obtinebat, sagitta traiectus, primus omnium corruisset, ac circa iacentem luctus horrendus sublatus esset, accurrit pater, et *Non gemendi*, inquit, *sed pugnandi tempus est.* Deinde versus ad filium, postquam in eo nullam vitæ spem videt: *Tu vero*, inquit, *fili, nunquam tam pulchram habuisses sepulturam, si defunctus esses in patria.* Hæc dicens, armatus armatum tepentemque complexus, proiecit in medios fluctus, ipsa, ut mihi quidem videtur, calamitate felicissimus, cui talem casum conti-

git tolerare tam fortiter: factum nempe eius ac verba, accensis animis, egregiam illo die victoriam peperere. Nec minus ideo pius est habitus, quam si incumbens cadaveri ac muliebriter ingemiscens, in eo præcipue rerum statu, cum summo suæ reipublicæ discrimine torpuisset. Tu genas unguibus foderes, tale aliquid in tuis videns, non tam propter mortis dolorem, quam propter ignominiam sepulturæ. Nautici ergo homines, quod amicis carituri sint, dolent ut cæteri; quod mare illos habeat, æquabilius ferunt, idque evenit, quia talia perpèti longa consuetudine didicerunt. Quid ni igitur indigner, cum Cicerone, plus usum posse quam rationem? Poterit nauta rudis sine lacrimis cernere, quia consuetus, quod tu philosophus non poteris, ratione fretus et tot bonis artibus instructus, tantorum exemplorum copia suffultus? Animadvertere licet ex historiis multiplices hominum ritus in sepulturis, et ab usu nostro multipliciter abhorrentes. E quibus quosdam suorum corpora domi servare, summo studio condita: quosdam ea bestiis obiicere solitos, ad id unum, pro singulorum facultatibus, multo ante comparatis ac nutritis, et generosi canis alvum, optimum sepulturæ genus opinari: quosdam vero per se ipsos devorasse legimus. Artemisia illa Cariæ regina, coniugalis amoris exemplum inter cuncta celeberrimum, nihil habuit quod viro tam dilecto dulcius præstaret, quam ut defunctum vivo conderet sepulchro. Redactum enim in cineres, summaque parsimonia reservatum, paulatim potui superfundens, bibit, et amato corpori tale sui corporis hospitium dedit. Nec illud modo quæritur, rectene id fecerit: illud potius agitur, ut intelligas, omnia quibus angimur,

aliter quam si, in ætate tam longa, quid morbus esset ignorares. Quomodo autem se adversus mortem præparabit animus, inter hæc quotidiana tam querulus? Sed ne latius effundar (amplissima enim res est et verborum egens), accipe breviter quæcumque de his querelis a me ipso diffusius dici solent. Nimis faciles sumus ad accusandum naturam; nemo deflet quod nascitur; nemo, quod vivit; at, quod egestatem sentit, quod labores patitur, quod senescit, quod ægrotat, quod moritur quisque conqueritur, quasi secundum naturam minus ista, quam illa sint. Et nasci et vivere, et comedere et esurire, et dormire et vigilare, et laborare et senescere, et ægrotare et mori, naturalia sunt; ut nemo his mortalium vacet, nisi cui forte senescendi necessitatem, laborumque molestias et ægritudinum, necessitas mortis præcipitata remiserit. Quid igitur inutiles querelas effundimus? An, quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permisimus? An, quia omnibus, cunctorum simul in nos lamenta transfundimus et, velut humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sane negocium et importunum. Illa enim mitissima; nos beneficia eius per impatientiam exacerbavimus, in parentem optimam ingrati, in nosmetipsos impii. Oro itaque, pater amantissime, et, si ætatem hanc non dedecet, etiam consulo (*sic*), ut quidquid evenerit, inducamus in animum ferre fortiter, ferre moderate, ferre sine eiulationibus et sine ulla lamentatione muliebri. Habuimus enim deliberandi, et, gratias Christo, habemus adhuc deliberata exequendi spatium: et, licet vulgus insaniat, sunt tamen nobis aliquanto magis sobrii consultores,

[redacted]

quorum potius monitis obsequendum est. Nec te moveat vita mea, quotiens epistolas meas legis, nec in frontem respexeris ista suadentis. Vidisti enim interdum pallentem medicum, qui suam non poterat, alterius ægritudinem curare. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA IACOBO COLUMNÆ EPISCOPO LOMBERIENSI S. P. D.

Accusationes diversas a se amovet, eamque præsertim, quod ficto amore se laborare simulet. Laudat Urbem Romam.

Semisopitum epistolæ tuæ clamor excitat, quam, iocosis refertam conviciis, lætus ridensque perlegi. Et, ut primum venienti iaculo prius occurram, vide, quæso, pater optime, de multis quæ contra me colligis, quantum ab intentione tua prima etiam scribentis verba discordent. Mirari solitum te ais, quod mundum in ætate adhuc tenera sic artificiose decipiam, ut scilicet ars hæc sit tam experientiæ, quam naturæ. Panegyricum plurium certe verborum, sed minime amplioris gloriæ cecinisse mihi poteras. Mundus, deceptor generis humani, tot vitam laqueis implicitam quam amaræ dulcedinis aspersione commendet, novit quisque apertis oculis iter hoc agit: cuius et nos fraudibus de industria favemus, studioseque, ut ipsi nobis ignoti simus, adversus Apollinis consilium laboramus. Hunc superbia inflat sub spem magni et excelsi animi; illum

malitia et fraus, et quidquid prudentiæ proximum videtur, sub amictu finitimæ virtutis infatuat. Ille se fortem putat, inhumanus et ferox; hic se humilem vocat, timidus et imbellis. Est et quem titulo frugalitatis avaritia sollicitet, et quem prodigalitas specie largitatis exhauriat. Personata sunt vitia; et immania monstra formosis sub pellibus delitescunt. Accedit delectabilium, sed transiturarum, imo vero transeuntium ac fugientium rerum turba. Ambitio honorem nobis et plausum, aurasque vulgares; luxuria blandas et varias voluptates; pecunia plurimarum rerum sufficientiam ostentat. Nullus hamus sine esca; nullus sine visco ramus; nullus laqueus sine spe. Accedit humana cupiditas præceps inopsque consilii, et falli facilis, et insidiis oportuna. In hoc igitur ancipiti, et lubrico, et suspecto itinere si quem forte tam cautum vel natura vel studium fecisset, ut, mundi fraudibus elusis, mundum ipse deciperet, frontem scilicet ostendens populo similem, tota intus mente dissimilis; quem tu hunc virum diceres? Hunc tamen ubi quærimus? Et natura optima, et ætate solida simul ac sobria opus est, et alienorum casuum observatione solicita. Tu tamen hoc mihi nomen imponis: immensum quidem, modo non irrideas. Quod si hodie verum non est, Deum oro, qui potens est etiam ab inferis excitare, ut verum fiat antequam moriar. Sed quo hinc iocando progrederis, multos, fictionibus meis, opiniones de me concepisse magnificas? Fuit ars hæc, fateor, quibusdam ex illustribus viris, ut, ingenio quodam, veras virtutes mirantibus *imponerent.* Hinc et Numæ Pompilio divini colloquii, et Publio Africano divinæ etiam stirpis fama quæsita est. Mihi ars ea non

competit; nihil habeo quod ostentem; et tamen nescio quis me ab incunabulis supervacuus fati favor insequitur. Notior sum quam velim; et scio de me, quantuluscumque sim, in utramvis partem multa iactari; quibus ego nec deprimor nec attollor. Scio populi totidem fere mendacia esse, quot verba. Et hæc quidem hactenus; neque enim ut turbæ displiceam magnopere laborandum est. Necdum desinit urbanitas tua; dicis, me non modo vulgus insulsum, sed cœlum ipsum fictionibus tentare: itaque Augustinum et eius libros simulata quadam benevolentia complexum; re autem vera a poetis et philosophis non avelli. Quid autem inde divellerer, ubi ipsum Augustinum inhærentem vides? Quod nisi ita esset, nunquam libros de civitate Dei, ut reliquos sileam, tanta philosophorum et poetarum calce fundasset; nunquam tantis oratorum ac historicorum coloribus exornasset. Nec mirum: nunquam enim in somniis ad tribunal æterni iudicis tractus accesserat Augustinus meus, sicut Hieronymus tuus: nunquam exprobrari sibi ciceronianum morem audierat: quod cum audisset Hieronymus, fidemque dedisset nunquam amplius libros gentilium attingere, quam diligenter ab omnibus, sed a Cicerone præsertim abstinuerit, nosti. Augustinum vero, cui nullo somnio interdictum erat, non solum familiariter illis uti non puduit, sed ingenue etiam fateri, se in libris Platonicorum magnam fidei nostræ partem invenisse; et ex libro Ciceronis, qui vocatur *Hortensius*, mutatione mirabili, ab omni spe fallaci, et ab inutilibus discordantium sectarum contentionibus aversum, ad solius veritatis studium fuisse conversum, et sic lectione libri illius inflammatum, ut, mutatis affectibus

et abiectis voluptatibus, volare altius inceperit. O virum ineffabilem, dignumque quem Cicero ipse pro rostris laudet, cuique publice grates agat, quod inter tam multos ingratos, unus velit esse gratissimus! O virum magnifice humilem, et humiliter excelsum! non qui alienis plumis ornatus auctoribus his insultet; sed qui iam Christianæ religionis fluitantem puppim inter hæreticorum scopulos agens, præsentisque magnitudinis sine arrogantia sibi conscius, veritatem primordiorum suorum et adolescentiæ rudimenta commemoret, et, doctor tantus Ecclesiæ, non erubescat ducatum Arpinatis hominis, licet alio tendentis. Cur autem erubesceret? Nemo dux spernendus est, qui viam salutis ostendit. Quid ergo studio veritatis obesse potest vel Plato vel Cicero? Quorum alterius schola fidem veracem non modo non impugnat, sed docet et prædicat; alterius libri recti ad illam itineris duces sunt? Eadem et de aliis dici possent, sed piget in re notissima testes supervacuos conquirere. Nec tamen ideo negaverim, multa apud illos esse, quæ vitari oporteat: cum et apud nostros quædam sint periculosa incautis, et Augustinus ipse, in quodam operoso volumine, de uberrima messe studiorum suorum internascentis erroris lolium proprio pollice decerpat. Quid ergo? Rara lectio est quæ periculo vacet, nisi legenti lux divinæ veritatis affulserit, quid sequendum declinandumve docens. Illa autem duce, secura sunt omnia; et quæ nocere poterant, iam Syrtibus et Charybdi, aut famosis in alto scopulis notiora sunt. Ut vero iam tandem huic lascivæ calumniæ finis fiat, verone an falso Augustinum animo complectar, ipse novit. Etenim, ubi nec fallere vult quisquam, nec

falli potest, unde devia vitæ meæ erroresque cernentem, misereri arbitror (præsertim si adolescentiæ suæ meminit, quam vagam et aberrantem miseratus Omnipotens retraxit ad rectum iter, et nunc, pro arenosis Africæ litoribus, ubi aliquandiu noxie delectatus vergebat ad mortem, æterne frondentis Ierusalem sine fine municipem esse dedit), inde mihi favet, inde me diligit. Quid enim dubitem, cum audiam in eo libro, quem de Vera Religione conscripsit, eum spe firmissima dicentem: *Quisquis Angelorum Deum diligit, certus sum quod me diligit?* Si enim ille, contemplatione communis Dei, angelicum amorem sibi promittere non metuit, cum sit homo; audebo et ego, qui homo sum, amorem humanum animæ illius sacratissimæ, quæ nunc cœlo fruitur, sperare. Sed enim novis hic salibus aspergor. Ais enim, mihi physica etiam nunc et poetica ruminanti Augustini dicta, quasi quædam somnia videri. Melius dixisses: illa relegenti, totam mihi vitam meam nihil videri aliud quam leve somnium, fugacissimumque phantasma. Itaque lectione illa excitor interdum, velut e somno gravissimo; sed, urgente mortalitatis sarcina, palpebræ rursus coeunt; et iterum expergiscor, et iterum obdormio. Voluntates meæ fluctuant, et desideria discordant, et discordando me lacerant. Sic adversus interiorem hominem exterior pugnat:

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra;
Nec mora, nec requies:

et ni Pater æternus, voce prælia dirimens, fessum Dareta de manibus Entelli ardentis eripiat, vincet exte-

rior. Quid multa? Adhuc de fine sum incertus, vivoque in spe ad victorem mortis exclamans:

Eripe me his, invicte, malis;
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

Sed nihil iocis lentius, nihil flexibilius: quocumque traxeris, sequuntur. Quid ergo ais, finxisse me mihi speciosum Laureæ nomen, ut esset et de qua ego loquerer, et propter quam de me multi loquerentur; re autem vera in animo meo Lauream nihil esse, nisi illam poeticam, ad quam aspirare me, longum et indefessum studium testatur; de hac autem spirante Laurea, cuius forma captus videor, manu facta esse omnia, ficta carmina, simulata suspiria? In hoc uno vere utinam iocareris! simulatio esset utinam et non furor! Sed, crede mihi, nemo sine magno labore diu simulat: laborare autem gratis, ut insanus videaris, insania summa est. Adde, quod ægritudinem gestibus imitari benevalentes possumus, verum pallorem simulare non possumus. Tibi pallor, tibi labor meus notus est: itaque magis vereor, ne tu illa festivitate Socratica, quam ironiam vocant, quo in genere ne Socrati quidem cedis, morbo meo insultes. Sed expecta; ulcus hoc cum tempore maturescet; verumque fiet in me ciceronianum illud: dies vulnerat, dies medetur. Atque adversus hanc simulatam, ut vocas, Lauream, simulatus ille mihi etiam Augustinus forte profuerit: multa enim et gravia legendo, multumque meditando, antequam senescam, senex ero. Quis autem erit facetiarum modus? Ubi desines? Quid ais, tentatum te quoque fictionibus

meis, ac prope delusum, immo vero delusum, aliquandiu expectásse me Romæ, simulantem ingens veniendi teque revidendi desiderium; tandem (quod spectatores callidi in circulatorum præstigiis solent) aperienti tibi oculos, et in artes meas profundius intendenti, omnem ingenii mei scenam patuisse? Deus bone, quid hoc est? Calumniando tu quidem facies ut magus sim. Iam Zoroaster videri mihi incipio, repertor magiæ, sive unus suorum; esto: sim Dardanus, vel Damigeron, vel Apollo, vel alius, si quem ars ea notiorem fecit. Parum ne præstigii est, præstigiatorem verbo facere? Sed iam satis superque iocum traximus. Serio velim mihi respondeas. Cesset quamvis ardor faciem tuam videndi, quem laboriosissime in quartum annum iam protraxi, dum cogito, ecce ille cras aderit, ecce tu postridie movebis. Excidat quidem curarum non mediocris cumulus, quem cum nullo mortalium, nisi tecum, æquo animo partirer. Quiescat affectus cernendi præclarissimum patrem tuum, magnanimos fratres, honestissimas sorores, exoptatos amicorum vultus; quanti demum æstimaturum reris, mœnia Urbis et colles, et, ut ait Virgilius, — Tuscum Tiberim et Romana palatia — cernere? Credi non posset quantum urbem illam, desertam quamvis et veteris effigiem Romæ, spectare cupiam, quam nunquam vidi; ubi segnitiem meam (si tamen segnities et non necessitas fuit) incuso. Exultare mihi videtur Seneca ad Lucilium scribens ex ipsa villa Scipionis Africani, nec modicum ducit, vidisse locum ubi ille vir tantus exulaverat, ubi negata patriæ ossa reliquerat. Quod si contigit hispano homini, quid me hominem italicum sentire putas? Non de villa Literni, aut de

Scipionis sepulchro, sed de Urbe Roma, ubi Scipio natus est, ubi educatus, ubi victor idem et reus pari gloria triumphavit; ubi non unus ille, sed innumerabiles vixerunt viri, quos nunquam fama tacitura est. De civitate, inquam, illa, cui nulla similis fuit, nulla futura est; quæ civitas regum etiam ab hoste dicta est; de cuius populo scriptum legimus: *magna est fortuna populi Romani, magnum et terribile nomen;* cuius sine exemplo magnitudinem, atque incomparabilem monarchiam futuram præsentemque divini cecinerunt vates. Neque ego nunc Romanas prosequor laudes: maior res est, quam ut possit a transcurrente tractari. Sed hæc cursim attigi ut intelligeres non parvipendere me reginæ urbis aspectum, de qua infinita perlegi, et ipse multa iam scripsi, plura forte scripturus, nisi primordia mea præcipitata dies mortis abrumpat. Finge me his nequaquam tangi; quam dulce tamen est christiano animo urbem cernere, cœli instar in terris, sacrosanctis martyrum nervis atque ossibus consertam, et veri testium preciosa cæde respersam? Videre verendam populis Salvatoris imaginem, et in saxo durissimo æternum gentibus adoranda vestigia? ubi ad litteram, luce clarius, impletum cernitur illud Isaiæ: *Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.* Circuire sanctorum tumulos, vagari per Apostolorum atria, melioribus iam curis comitantibus, et inquieta solicitudine vitæ præsentis in litore Massiliæ destituta. Quæ cum ita sint, quid me segnem vocas, cum scias quod iter meum ex alieno pendet arbitrio? Ego me ipsum tibi dederam: parvum quidem sed perpetuum munus: tu

me alteri parere voluisti: si alter proprie dicitur talis et tam unanimis germanus. Nihil hic mihi conscius sum: si culpa est, vel tibi parce, vel fratri. In extrema litterarum parte, veritus forte ne lepidissimis iocis tuis offenderer (solet enim leonis, quantumlibet blanda, contrectatio animantia parva perterrere), suaveolentis unguenti drachmam adhibes ubi pupugisse videbare; dum me ad te amandum, imo vero ad tibi reddendas amoris vices, prædulciter cohortaris. Quid dicam? Multa loqui non magis dolore, quam gaudio præpedimur: hoc unum, me tacente, non ignoras. Usque adeo saxeus non sum, ut ad tam debitum amorem sit mihi necessarius hortator: atque utinam in amando non magis fræno, quam calcaribus egerem! tranquillior iuventa sequeretur. Hoc saltem, oro, ne finxisse me fingas. Vale.

Avin. XII Kal. Ianuarii.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA AGAPITO COLUMNÆ S. P. D.

Mortale genus semper in peius ruere.

Non miror in te, quod in omnibus stupeo, in me autem queror et lugeo. Publicum malum est. Quæ negligi sine periculo poterant, certatim quærimus; quod apprime curandum erat, publice negligitur. Quam fertilis ager, quam domus composita, quam obsequiosus servus, quam solicitus procurator, quam splendida vestis, quam nitidus equus, quam pulchra uxor, quam nostri corporis ornata superficies, omnes curamus: quam

pulcher et ornatus animus curat nemo, nec se curaturum spondet, aut sperat; sed quod primum esse debuerat differimus ad extrema.

O cives cives, quærenda pecunia primum;
Virtus post nummos.

Sic est hodie, sic erat Flacci sæculo, sic erit temporibus pronepotum, nisi forte meliora de posteris auguramur. Utinam id quidem sperare possemus! Sed ut res eunt, in dies peiora coniicio; quamvis iam peiora vix possim nedum timere, sed fingere. Certe sic vivitur, eoque criminum ac furorum ventum est, ut procedi ulterius sine publico præcipitio non possit. Nunc, nunc impletum est, quod ante tempus dixerat satyricus: *omne in præcipiti vitium stetit.* Enitimur tamen pro viribus, ut semper aliquid accedat insaniæ: nec unquam a maioribus traditæ licentiæ finibus contenti erimus: nunquam committemus ut mentitus videatur Horatius, ubi ait:

Ætas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos,
Progeniem vitiosiorem?

Et ut in tempus aliud graviorem hanc querimoniam differamus, insistentes cœpto, semper verissimum faciemus quod M. Varroni, viro longe doctissimo, visum est. Quoniam, si duodecimam curæ partem, quam impendimus ut pistor bonum nobis panem faciat, impendissemus in nobis, ipsi iam pridem boni essemus; ut de anulis, de calceis, de calamistris sileam. Sic est procul dubio; sic erit semper: curabuntur supervacua, semper necessaria negligentur. In litteris tamen tuis,

clarissime vir, unum de te bonæ spei pignus habeo. Videris mihi vim pati, et, qui proximus ad salutem gradus est, statum tuæ mentis agnoscere. Videris mihi, indignatione magnifica, cum primum se facultas obtulerit, ex his compedibus evasurus. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, Kal. Maii.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA AGAPITO COLUMNÆ S. P. D.

Secum cœnatum invitat.

Ad cœnam expectatus venies, memorque non hic Cupedinarium forum esse. Poeticum tibi convivium præsto est: ideoque non Iuvenalis aut Flacci, sed quale a Virgilio pastorale describitur:

Mitia poma,
Castaneæ molles, et pressi copia lactis.

Cætera duriora; inelaboratum ac rigidum panem, fortuitum leporem, aut peregrinam gruem; idque perraro; et callum fortassis apri rancidioris invenies. Quid multa? neque locorum nec victus asperitas ignota est tibi. Itaque non pedibus tantum, sed, ut facete plautinus Parasitus ait, calceatis dentibus ut venias admoneo. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, Idibus Ianuariis.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

Se ad montem Caprarum, quem describit, pervenisse.

Peropportunum curis meis locum, si non alio properaret animus, nactus sum in regione romana. Caprarum mons dictus est olim, credo, quod silvestribus virgultis obsessus, capris, quam hominibus, frequentior haberetur. Paulatim cognitus loci situs, et spectata fertilitas, habitatores aliquot sponte contraxit, a quibus arx eminenti satis tumulo fundata; et domorum quantum collis angustus patitur, adhuc vetus caprarum vocabulum non amisit. Locus ignobilis fama, nobilioribus cingitur locis. Est hinc Soracte mons, Silvestro clarus incola; sed et ante Silvestrum poetarum carminibus illustris: hinc Cimini cum monte lacus, quorum meminit Virgilius: hinc Sutrium, quod nonnisi duobus passuum millibus abest, sedes Cereri gratissima, et vetus (ut perhibent) Saturni colonia. Campus ostenditur non longe a muris, ubi primum in Italia frumenti semen ab advena rege iactum dicunt, primam messem falce desectam: quo beneficio miraculoque delinitis animis, in partem regni vivens, in opinionem divinitatis vita functus, favore hominum exceptus, senex rex, et falcifer Deus est. Aer hic, quantum breve tempus ostendit, saluberrimus. Hinc, illinc, colles innumeri, altitudine nec accessu difficili, et expedita prospectui. Inter quos, et umbrosa laterum convexa, et opaca circum antra subsidunt. Undique submovendis solibus

frondosum nemus erigitur, nisi quod ad aquilonem collis humilior apricum aperit sinum, mellificis apibus floream stationem; fontes aquarum dulcium imis vallibus obstrepunt; cervi, damæ, capreoli et feri nemorum greges apertis vagantur collibus; omne volucrum genus vel undis vel ramis immurmurat. Nam boum, et omnis mansueti pecoris armenta, et humani laboris fructus, Bacchi dulcedinem, et Cereris ubertatem, ad hæc et illa naturæ dona, vicinos lacus ac flumina et non longinquum mare, prætereo. Pax una, quonam gentis crimine, quibus cœli legibus, quo fato, seu qua siderum vi ab his terris exulet, ignoro. Quid enim putas? Pastor armatus silvis invigilat, non tam lupos metuens quam raptores. Loricatus arator, hastam ad usum rustici pugionis invertens, recusantis bovis terga solicitat. Auceps retia clypeo tegit: et piscator hamis fallacibus hærentem escam rigido mucrone suspendit; quodque ridiculum dixeris, aquam e puteo petiturus, rubiginosam galeam sordido fune connectit. Denique nihil sine armis hic agitur. Quis ille pernox ululatus vigilum in mœnibus, quæ voces ad arma conclamantium, quæ mihi in sonorum locum, quos blandis e fidibus exprimere consueveram, successere? Nihil incolis harum regionum inter se aut tutum videas, aut pacatum audias, aut humanum sentias, sed bellum et odia et operibus dæmonum cuncta simillima. His in locis, pater inclyte, inter volentem ac nolentem dubius iam sextum decimum diem ago, et, quantum potest in rebus omnibus consuetudo, fragore militum et stridore lituum cæteris in arcem concurrentibus, me sæpe per hos colles vagum videas, atque aliquid quod po-

steritatem mihi conciliet assidue meditantem. Omnes me cum admiratione respiciunt ociosum, intrepidum et inermem. Contra ego omnes admiror pavidos, solicitos, et armatos. Hæc est humanarum varietas actionum. Quod si forsan interroger, an hinc migrare malim, non facile dixerim; et ire iuvat, et manere delectat. Ad primum pronior sum: non quod hic molesti quidquam patiar, sed Romam visurus domo moveram. Est autem secundum naturam, ut usque in finem votorum animus non quiescat; ex quo maxime colorem mihi videtur habuisse opinio illa quæ beatifica visione Dei, in qua consummata felicitas hominis consistit, defunctorum animas tamdiu carituras adstruebat, donec corpora resumpsissent: quod naturaliter non optare non possunt; quamvis illa sententia multorum saniori iudicio victa, et cum auctore suo (da veniam, quæso, qui valde eum, sed non errores eius dilexisti) sepulta iampridem sit. Vale.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

De Urso Anguillariæ Comite, et Hagne Columna coniugibus, hospitibus suis.

In hoc ecce Caprarum, imo vero leonum ac tigridum monte, quolibet agno mitior Ursus iste tuus habitat, Anguillariæ comes, amator pacis, sine bellorum metu: inter bella securus non sine pacis desiderio, hospitalitate secundus nemini, consilio vigens, blande

severus, et rigide benignus in suos, Pieridum familiarissimus, et excellentium ingeniorum mirator elegantissimus ac laudator; et secum non adversum, ut ille, sed conveniens moribus suis nomen sortita, Agnes coniux eius, præclarissima soror tua, de qua, ut de Carthagine Sallustius ait, silere melius puto, quam parum dicere. Sunt enim quædam, quæ nullo melius modo, quam stupore et silentio, laudantur. Horum ex genere soror tua est. Hoc concors et mite par coniugum, ceu rosas aut lilia, totidem notavi inter spineta ac tribulos odiorum: horum suavitate utcumque reliquorum temperatur asperitas. Accessit divinus et singularis vir, Iacobus de Columna, Lomberiensis Episcopus, germanus tuus: ad quem cum adventus mei nuntium præmisissem per litteras, quid me agere vellet interrogans, quoniam, obsidentibus omnes aditus domus tuæ hostibus, non tuto videbar Romam petiturus; rescripsit ille, congratulatus adventui, et expectare iubens: paucisque post diebus, ad septimum kal. Februarii adfuit cum Stephano fratre primogenito, cuius etiam virtus eximia, magna quidem materia vatum est. Neque amplius quam centum armatis equitibus stipatus uterque, non sine spectantium horrore transiverat, cum quingentos, et eo amplius, sub hostium signis esse constaret: sed ea, quæ sæpe bellum conficit, fama ducum iter straverat. Cum his ego nunc generosis spiritibus habito, tanta dulcedine, ut sæpe alibi, quam in terris, esse videar: nec iam Romam magnopere requiram. Ibimus tamen, quamvis denuo dicantur adversarii, reditum in Urbem accuratius obstruxisse. Vale.

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ S. P. D.

Se urbis Romæ aspectum stupere.

Ab urbe Roma quid expectet, qui tam multa de montibus acceperit? Putabas me grande aliquid scripturum, cum Romam pervenissem. Ingens mihi forsan in posterum scribendi materia oblata est: in præsens nihil est quod inchoare ausim, miraculo rerum tantarum et stuporis mole obrutus. Unum hoc tacitum noluerim. Contra ac tu suspicabaris, accidit. Solebas enim, memini, me a veniendo dehortari, hoc maxime prætextu, ne ruinosæ Urbis aspectu, famæ non respondente atque opinioni meæ ex libris conceptæ, ardor meus ille lentesceret. Ego quoque, quamvis desiderio flagrarem, non invitus differebam, metuens ne quod ipse mihi animo finxeram, extenuarent oculi, et magnis semper nominibus inimica præsentia. Illa vero (mirum dictu!) nihil imminuit, sed auxit omnia. Vere maior fuit Roma, maioresque sunt reliquiæ, quam rebar. Iam non orbem ab hac urbe domitum, sed tam sero domitum miror. Vale.

Romæ, Idibus Martiis. In Capitolio.

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

Iohannam et Hagnen Columnas sorores illustrioribus antiquitatis matronis esse comparandas.

Sunt qui Romanorum veteres matronas singulas singulis laudibus attollant: et Lucretiæ quidem pudicitiam adscribunt, Martiæ gravitatem, pium impetum Veturiæ, coniugalis amoris ardorem Porciæ, Claudiæ hilaritatem sobriam, Iuliæ facetias et eloquentiam muliebrem, urbanitatem Cæciliæ, Liviæ maiestatem, Corneliarum alteri generosum robur animi, alteri morum verborumque dulcedinem. Sunt et qui peregrinas suis laudibus prosequantur: honestatem in Penelope, in Artemisia amorem immortalem, in Hypsicratea tolerantiam, in Thomyri fortitudinem, consilium in Thetide, modestiam in Argia, pietatem in Antigone, in Didone constantiam admirantes. Vellem ut ii laudatores veterum, sorores tuas, Iohannam et Agnetem cernerent. Haberent profecto in una domo amplissimam laudandi materiam, neque femineis titulis conquirendis per omnes terras, et per tam multa sæcula vagarentur. Quidquid usquam sparsim quæritur, apud has simul invenitur. Tu vive, non virtute tantum propria, sed magni genitoris gloria, fratrumque concordia, et talium sororum pietate felicissimus. Vale.

Romæ, X Kal. Aprilis.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

De situ insulæ Thules, seu Thyles.

Perambulanti veterum confinia, accessu quidem aspera, sed amœna dum perveneris, creber scrupulus ingenii pede calcandus est. Hoc sane, quem tu tibi nuper iniectum scribis, ego iampridem premor, quæroque itidem quanam mundi parte Thule sit insula: quæro, sed (ut verum fatear) nec certo indice, nec ad rem ducentibus coniecturis, aut ipsam, aut ullam inveniendi spem invenio. Et hæc tibi, quidem ex ipsis Britannici Oceani litoribus, propinquior (ut fama est) ipsi quam vestigamus insulæ, scribo: profecto unde, vel antiquo litterarum studio, vel nova ac solicita locorum indagine, certius aliquid scribere posse debueram. Ultimam quippe terrarum esse, non ambigitur; hoc Virgilius canit, hoc Seneca, hoc, secutus utrumque, Boetius, hoc omnis denique scriptorum cohors. Illud quoque satis inter multos convenit, in occiduo tractu sitam, quam longissime ab ortu solis et a meridie recessisse. Cæterum nobis, in occidente positis, stimulos addidit ipsa

vicinitas; si ad orientem sita esset, forte non magis Thylen quam Taprobanen curaturis. Cum vero Britanniam et Hiberniam, cunctasque Orcadas in occidentali Oceano ad aquilonem, inque eodem Fortunatas insulas ad Austrum, partim usu, partim assiduo commeantium testimonio, non aliter pene quam ipsam Italiam aut Gallias nosceremus; circumspicere mirarique cœpimus, aliquantoque scrupulosius inquirere, sicubi undis emergeret celebrata hæc omnium litteris insula, quam in nostro Oceano et antiquorum locavit auctoritas, et nunc etiam orientalium populorum, ac totius orbis confirmat opinio. Quid multa? Evenit huic, quod sæpe claris viris accidit: ut ubique sint, quam in patria, notiores. Percontare occidentis accolas: indocti ipsum insulæ nomen ignorant: litteratis utique clarum nomen insulæ est, insula vero non minus ignota, quam vulgo. Mihi quidem de hac re cum Riccardo quondam Anglorum regis cancellario, sermo non ociosus fuit, viro ardentis ingenii nec litterarum inscio: et qui, ut in Britannia genitus atque educatus, abditarumque rerum ab adolescentia supra fidem curiosus, talibus præsertim quæstiunculis enodandis aptissimus videretur. Ille autem, seu quia sic speraret, seu quia puderet ignorantiam fateri (qui mos hodie multorum est, qui non intelligunt, quanta modestiæ laus sit homini nato nec nosse omnia valenti, profiteri ingenue, se nescire quod nesciat), seu forte, quod non suspicor, quia huius mihi arcani notitiam invideret, respondit, certe se dubietati meæ satisfacturum, sed non prius quam ad libros suos, quorum nemo copiosior fuit, in patriam revertisset. Erat enim dum in amicitiam eius incidi, tractandis domini

sui negociis apud Sedem Apostolicam peregrinus; ea scilicet tempestate, qua inter præfatum dominum suum et Francorum regem prima diuturni belli semina pullulabant, quæ cruentam messem postea protulere: nec dum repositæ falces, aut clausa sunt horrea. Sed dum promissor ille meus abiisset, sive nihil inveniens, sive noviter iniuncti pontificalis officii gravi munere distractus, quamvis sæpe litteris interpellatus, expectationi meæ non aliter quam obstinato silentio satisfecit: ita mihi Thyle, amicitia britannica, nihil notior facta est. Post annos vero venit in manus meas libellus de mirabilibus Hiberniæ, a Giraldo quodam aulico Henrici Secundi regis Anglorum, licet tenui rerum stilo, non rudi tamen verborum arte contextus: quem ne totum bibliothecæ nostræ foribus excluderem, brevis quædam ipsius particula promeruit, ubi de hac eadem insula, nostræ similis et operosa dubitatio inserta sit. Itaque similitudo una ingenii mihi totius operis commendavit auctorem. Aliquot ibi scriptorum sententias attingit, quod insularum Oceani, quæ circa Britanniam, quæve inter Arcton et Occasum sunt, extrema sit Thyle: ubi æstivo, nulla nox, brumali contra solstitio, nulla dies: ultra quam pigrum atque concretum iaceat mare. Ad hæc Solinum et Isidorum testes citat: ignotam nihilominus insulam occidenti, nullamque huius vel naturæ vel nominis illic esse confirmat. Ideoque coniecturam sequens, aut famosam, sed fabulosam, insulam existimat: aut infinito ab aliis spatio secretam, nusquam alibi, quam in intimis borealis Oceani secessibus, requirendam: cuius sententiæ adstipulatorem facit Orosium. Poterat et Claudianum, ubi, *Hyperboreo damnatam sidere Thylen*, ait. Hoc ta-

men omisso, rem agit, et ad hunc fere modum ille disputat. Tu testes, quos inducit, examina quam sibi constent, et quanta sit dictis fides intelliges. Ego enim nunc a libris omnibus quam longissime absum, et id unum in hac peregrinatione molestissimum experior. Domo egressus, nullum latinæ linguæ murmur audio: domum regressus, comites libros, cum quibus loqui sum solitus, non habeo; omne mihi colloquium cum memoria mea est. Hæc igitur ex tempore et memoria scribo; ita ut, de quibus illam hæsitantem video, silentio potius, quam calamo, committenda crediderim. Multa sane non aliter, quam si sub oculis libri essent, memini: quæ frequens horum cogitatio mihi altius atque tenacius impressit. Plinium ille Secundum forte non legerat, quo nemo certius rem expressit: quam vere definire non ausim, cum illud sæpe occurrat, quod ita omnibus habeatur incognita insula tam vicina, tam celebris; sed dicam quod ipse Plinius Secundus, secundo Naturalis Historiæ libro, senserit: Thylen esse insulam sex dierum navigatione in septentrionem a Britannia distantem: ubi semestrem æstivum diem, ac paris spatii brumalem noctem esse coniectat: et violento, quantum sibi videtur, rationis argumento, et præterea nescio quo Phocæensi Pythea Massiliensi teste utitur. Quæ si vera sunt, quantulum hinc abest Thyle ipsa quam quærimus, cuius apud Indos (ut auguror) fama ingens, apud nos notitia nulla est? Servius quidem, etsi grammaticus melior, quam cosmographus vel poeta, sequens tamen priorum vestigia, super illum Virgilii locum « *tibi serviat ultima Thyle* » sic ait: « Thyle insula est Oceani inter septentrionalem et occi- » dentalem plagam, ultra Britanniam, Hiberniam, Or-

» cadas. » Vides ut unum fere signum omnes aspiciant, ut inter septentrionem et occasum, ac non procul a Britannia vario sermone conveniant: ubi si corpore convenissent, re cogente, mutassent forte sententiam. Duo longius abscedunt a cæterorum dictis; sed an ad verum propius accedant, an, propter distantiam, non ita manu (ut aiunt) mendacium prehendi possit, incertum est. Horum alter Orosius est; cuius supra mentio est habita. Alter vero Pomponius Mela, nobilis cosmographus, quem Plinius, in multis sequi solitus, hic neglexisse visus est. Is enim toto anno unum solis ortum verno, unumque autumnali æquinoctio occasum, atque ita una die dumtaxat, unaque nocte distinctum anni spatium hyperboreis populis assignat, primus in litore Asiatico, super Aquilonem Rhiphæosque montes habitantibus, omnium (si quid sibi credimus) mortalium innocentissimis felicissimisque; Thylen autem inter Oceani insulas, Belgarum litoribus oppositam testatur: noctes ibi breves, hyeme quidem fuscas, æstate lucidas, solstitio nullas. Adest tanta discordia, ut mihi quidem nihilo videatur occultior insula ipsa, quam veritas. Sed bene habet; quia, quod laboriose quærimus, impune nescimus. Lateat ad Aquilonem Thyle, lateat ad Austrum Nili caput: modo non lateat in medio consistens virtus, et huius vitæ brevis semita, per quam magna pars hominum palpitando titubandoque proficiscitur, ad incertum finem ambiguo calle festinans. Ne ergo nimis magnam operam impendamus in inquisitione loci, quem forsan inventum cupide linqueremus. Claudenda iam epistola, et tempus curis melioribus impendendum est. Hæc sunt, quæ de hoc ambiguo tibi nunc ex ipsa (ut

dixerim) inquisitionis area excutere potui. Reliqua a doctoribus exige: mihi quidem, si hæcce latibula rimari, et abdita nosse negatum fuerit, me ipsum nosse sufficiet. Hic oculos aperiam: hic figam intuitum: orabo eum qui me fecit, ut se mihi, meque simul ostendat, et, quod votum sapientis est, notum mihi faciat finem meum. Vale.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA THOMÆ MESSANENSI S. P. D.

Frustra curas hominum longum in ævum protendi.

Quid ad litteras tuas dicam? Vereor ne humanorum torrens rapidissimus errorum amicum nostrum, fundo alvei rotatum, cum universo rapiat. Senescit (ut vides) inter ludos atque præstigia fortunæ, multa sibi promittens, quæ, mihi crede, nunquam venient. Una tamen excusatio est: omnes idem fere morbus habet. Quem invenies, qui non spe crastinæ quietis, hodie laboret? Hæc felicitas, hæc mortalium vita est: mirus furor, nec minor ideo quia publicus, hiare in ventos, et, certis bonis abiectis, incerta sectari. Ignorant homines quantum lucri sit, spes inanes et fallaces perdere: nulla gravior sarcina; nulla tamen tristius deponitur; usque adeo malis etiam propriis delectamur. Laborat ille quidem et suspirat, et anhelat supervacue, et, contra Flacci sententiam, *terras alio calentes sole permutans, brevi fortis iaculatur ævo multa.* Non accuso in aliis, quod in nobis excuso; tulit et nos multa videndi

ardor per terras ac maria: et nunc maxime ad extrema terrarum ea me voluptas traxit, pellente hinc tædio rerum, morumque odio. Quo rursum dura necessitas retraxit nudius tertius applicui, et cum multa inde tibi scripserim, reversus, pulverulentum calamum tuo primum nomine detersi. Amicus autem noster, non ut doctior redeat, nullum mundi litus inaccessum sinit, et omni vento, caducæ frondis more, circumvolvitur. Suspiriorum eius nullus (ut auguror) finis erit, nisi qui vitæ. Hoc sibi verbis meis dicito; raro quidem præmeditata succedunt, sed finge succedant: crescit cum felicitate miseria. Id haud difficile persuaderi posset experto, nisi consuetudo pessima aures salutaribus vocibus obstrueret. Sed ipse de se viderit; tu vero cœptum tene, et ne turba delirantium animum a proposito convellat, cave. Senecæ, imo vero ipsius naturæ verbum est: *Nec multo opus est*, *nec diu*. Vale.

Avinione, XV Kal. Septembris.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ IUNIORI S. P. D.

Hortatur ut victoriæ de Ursinis relatæ fructum non amittat.

Potuisti, vir fortissime, vincere: scito, sapientissime vir, uti victoria. Ne quis unquam nostrum tibi possit obiicere, quod, Cannensi quondam die, Maharbal Hannibali; qui, si consilio obsecutus, recto calle ab acie Romam sanguine nostro rorantia signa vertisset, quænam sit historicorum opinio non ignoras. Sed il-

lius impiis ausibus obstitit Italiæ favens Deus. Idem, pios adiuvans conatus, aciem tuam comitabitur; vestigia diriget; se duce, victricia signa non deseret. Ille tibi nunc perpetuam victoriam, ultimumque tuorum hostium exterminium pollicetur, qui de tot olim barbaricis legionibus piam paucitatem Theodosii principis salvam fecit. Et tu profecto iustissimam causam foves; et, qui illius tunc iustitiæ fuit, tuæ nunc testis est Christus devotissime tibi diebus ac noctibus invocandus, ut peragat quod incepit. Non equidem procul ille, sed tecum est, et tecum erat (mihi crede) dum vinceres. Alioquin quonam modo cum paucis tantum fudisses exercitum, atque unus, duos superbissimos hostes, incautusque idem ac prope semiermis, præmeditatos illos et instructos, inopino marte, tam celeriter oppressisses? Aderat procul dubio cœleste præsidium, aderitque, quotiens, non mutata iustitia partis tuæ, pie reverenterque postulabitur. I, tanto securus duce; et de cæsorum sanguine renascentem puerum, ecclesiarum spoliis oneratum, prædam verius scito esse, quam prœlium. Prior nempe victoria, ut gloriosa, sic inops fuit; hæc tam opulenta, quam facilis. Vade igitur ad certam victoriam, potius quam ad ambiguum certamen; et vade, non tam propriis viribus, quam divino fisus auxilio. Ipsa pro te etiam elementa pugnabunt, quæ pro Theodosio pugnaverunt, quodque ait Claudianus,

Tibi mittet ab astris
Æolus armatas hyemes, tibi militat æther,
Et coniurati venient ad classica venti.

Nam et tu quoque cum crucis hostibus, licet Christi

nomen usurpantibus, bellum geris. Quod sic esse, novus Eugenius ex agno lupus, tyrannus ex clerico, oppressæ ac nudatæ per Italiam testantur Ecclesiæ. Te, non tuarum magis, quam suarum iudicem offensarum, poscit læsa divinitas. Noli geminæ deesse victoriæ, neque in his quæ gesta sunt spem usque adeo posueris, ut quæ sint gerenda non videas. Aliquid est actum, imo multum, imo plurimum, imo nihil, cum principio finis desit. Ne, quæso, cum victoria uti posses, frui malis: qua in re, nostro quidem optimo, sed pessimo fato suo, errasse tantus ille militiæ magister arguitur. Quamvis autem unum illud omnibus bellorum ducibus, qui sunt, quique erunt omnibus sæculis, abunde cautionis ac documenti præstare debeat; ne tamen in tam magno negotio unius exempli commemoratione movearis, et nostra et peregrina subiiciam. Magnus Pompeius, ad Dyrrachium victor, Iulium Cæsarem prope captum, dum retinere posset, abire permisit; sive ignorantia rei bellicæ in duce probatissimo, sive fortuna familiari suo in extremis necessitatibus opem ferens, sive (quæ vulgatior fama est) mira prorsus atque utinam felix humanitas illa fuit: ex qua mox in Thessalia calamitas publica, et in Ægypto ducis ipsius mors miserabilis consecuta est; et in Africa Catonis simul ac libertatis interitus; et in Hispania tristis reliquorum strages; et Romæ spoliatum ærarium, oppressæ leges, atque ibidem succinctus ferro abdito senatus: et victor in Capitolio, quod quatuor triumphis ornaverat, interfectus. Hinc Perusii ac Mutinæ gravis obsidio, et crudelissima Parmensium clades, cuius in Philippicis Cicero meminit; et Pharsalia

nostro sanguine rursus infecta, et sub Leucadio atque Actio verticibus illa ingentia bella navalia. Postremo inde usque in sæculum nostrum tantorum series malorum, ut et impossibilis enumeratio sit, et amara memoria, necdum miseriarum finis ullus appareat. Quid de Cyro rege Persarum loquar, qui (ut proprie dicam) victor in prælio, in victoria victus fuit? Quid de Alexandro Macedone, qui bello incolumis, in convivio periit? Agamemnon nonne famosum illud ac superbum Ilion stravit? Africanus minor, noster (ut ita dixerim) poliorcetes, Carthaginem atque Numantiam funditus evertit. Uterque in bello, quam post victoriam, tutior, militiæque felicior, quam domi: quos non minus moribus quam locis temporibusque distantes, sciens, in hac brevis epistolæ parte coniunxi, quod prope par fatum, atque idem amborum exitus videretur: victores hostium, quisque sua prædomita ac subacta barbarie, inter amplexus nefandissimarum coniugum periere. Nihil hæc (fateor) ad nostrum propositum. Itaque rem omnem ad unum finem deduco, ut ostendam multa etiam victoribus metuenda. Nusquam igitur gestarum rerum fiducia subsistendum, procedendumque longius assidue, ac more cæsareo, urgendum impigre successum, instandumque favore Numinis, credendumque nihil actum, dum agendum aliquid supersit; alioquin, multis bello suspectiorem fuisse victoriam: et verendum valde, ne melius fuerit non cœpisse, quam cœptum, medio procurrentis facti calle, deserere. Vale.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ IUNIORI S. P. D.

De carmine Italico ad eum misso, et alio, quod, singulari lege conceptum, se dictasse pœnituit.

De universo rerum tuarum statu quid sentirem breve quiddam tibi, bellacissime vir, materno pridem sermone conscripseram, ut posset militibus et tuis innotescere, tecum in partem laboris et gloriæ profecturis. Subinde autem, pariente novi aliquid semper ingenio, eidem tibi carmen ex meo alienoque contexui, ea lege, ut primus meus, secundus alicuius probati poetæ versus esset : atque ita ut legentem non sententiarum modo artificiosa connexio, sed verborum quoque consonantia delectaret. Qua in re, ceu novi poematis, tenui licet, inventione gloriabar ; doneo, misso iam carmine, deprehendi, alios ante me hoc genus attigisse, verumque quod hebræus sapiens dixit: *nihil novum sub sole :* quodque ait comicus poeta : *nihil dictum, quod non sit dictum prius.* Novissime per nuntium Stephani senioris, magnanimi patris tui, quo plures virtuti stimulos incuterem, scripsi oratione soluta et libera ; quam si habes, nihil est quod mutem, nihil quod adiiciam ; quamvis enim multa se offerant, tamen sapientem monuisse satis est. Vale.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ IUNIORI S. P. D.

Solitudinem non una oratione laudandam.

Postulas tibi statum vitæ solitariæ, quem hac ætate sequutus videor (ut asseris) præter morem hominum nostrorum, brevibus verbis exponi: utrum imitandi, an irridendi avidus, nescio; tu scis. Cæterum, quam magnam rem inter angustias cogi, ac breviter dici velis, forsan ignoras. Sunt de hoc ipso disertorum hominum libelli, nec tamen (quantum mihi videtur) a quoquam sufficienter adhuc laudata res est; de qua sæpe mihi (fateor) scribere aliquid, impetus fuit: et fecissem, nisi quod nondum aut ingenio, aut stilo, aut rerum notitiæ satis fido. Quod ad te precesque tuas attinet, ego quidem, ut nunquam æquis auribus laudatorem vitæ huius audiam, nisi qui primo dulcedinem eius aliqua ex parte gustaverit, cum innumerabilibus bonis hæc affluat, quæ nec audiendo, nec legendo, denique nec aliter quam experiendo discuntur: sic frustra quemquam doceri velle rear, nisi eadem experientia magistra. Quid enim refert quanto eloquio res agatur, aut non intellecturis qui audient, aut minime audituris? Tu itaque, si solitudinis meæ admiratio et imitandi studium trahit, ut prædicas, noli me curis aliis intentum fatigare: noli narrationem imparem exposcere. Sed si modo tu (quod ego, quia valde vereor, sæpe repeto) pura mente, discendique, non tentandi animo interrogas, veni et vide: quodque ipse

tibi debere potes, alteri ne debeas. Desine tuarum aurium pruritum alieni sermonis unguibus scalpere: levioribus scalpellis idem consequi non prohiberis: idque fiet honestius, quam si tractatum rei grandis extorqueas, ad nihil aliud aut annuenti profuturum, aut petenti, quam ut legentis intentio culpari possit, et sint scribentis verba contemptui. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, quarto Nonas Maias.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ IUNIORI S. P. D.

Summum bonum in honestate situm.

Quid in quæstione proposita sentiendum putes, ipse videris: nec ætas, nec librorum lectio, nec rerum experientia defuerit. Apud me quidem rerum non honestarum vel sola consultatio turpis est, si sententiam extorques. Absit a me, non modo summum, sed (quoniam et in hac opinione Stoicus quam Peripateticus, etsi in omnibus Stoicus multo quam Epicureus esse malim) ne aliquod quidem bonum in divitiis, aut in voluptate reponere. Commoda sunt hæc, et adminicula vitæ mortalis; itaque illud fortunæ, hoc corporis bonum vocant. Bonum vero, quod quærimus, in animo est, nec corpori serviens, nec fortunæ. Cætera vocari bona fateor, sed non esse contendo. Neve me forsan, errore lapsum, putes inadvertenter hoc dicere. Non sum nescius quid de hac re Aristoteles, quid Epicurus

sentiat: sed philosophantium auctoritas non impedit iudicii libertatem. Mihi illa philosophorum divinorum verior sententia videtur: beatos esse non posse, qui bona dividant tripartito. Unum bonum est; unum, quod felices faciat. Vestra quidem nimis inops et emendicata felicitas est, ad quam non modo forma corporis et prosperior valetudo, sed divitiæ etiam admittuntur, seu potius exiguntur; nimis furum insidiis exposita, nimis denique solicita semper ac trepida; quo nihil est a felicitate remotius. Nam illa Epicuri, in voluptate consistens, non solum nulla felicitas, sed extrema miseria est. Quid enim homini miserius, quam humanum bonum bono pecudis, hoc est rationem sensibus, substravisse? Sed nonne ego parum sani capitis videbor, qui inter tantas partes, super lite tam dubia, iudex non electus accesserim? Credat igitur quisque quod credidit: durum est enim ab inveteratis opinionibus avelli. Extant de his philosophorum tractatus varii, quorum vix nomina epistolæ clauderentur angustiis. Extat integer Ciceronis liber, qui *De fine bonorum et malorum* inscribitur: quem cum legeris, nescio an quidquam vel auribus vel ingenio relictum sit, quod requirendum putent. Sed quoniam a me, non quid verum (id enim forte abditum est), sed quid mihi videretur postulasti, brevi rem omnem fine concludo. Noli iniquis consultoribus aurem præbere, qui neque famam, neque salutem tuam diligunt; id tantum consulunt quod vel sibi eligerent, vel tibi gratum putant. Tu vero nihil præter honestum cogitare, nihil in bonis numerare debes. At utile lucrum est: ita prorsus, si cum honestate coniunctum sit; alioquin nihil noveris esse posse damnosius.

Vulgatum est, quid de hoc ipso, in officialibus libris, Cicero idem disputet. Sed magna pars legentium, rerum negligens, solis verbis inhiat, et præcepta vitæ iudicio aurium, quasi totidem fabellas, amplectitur. Tu memento illic non linguæ, sed animi negotium agi: hoc est, non rhetoricos, sed philosophicos esse sermones. Stet ante oculos id quod Athenis olim Atticis votum fuit, et Themistoclis consilium, et Aristidis interpretatio, et iudicium concionis. Proinde, quamvis vulgus irrideat, hac demum lege emolumentum non aspernor, si nihil probri mixtum affert: si secus, non aliter aurum quam scopulum vitabo. Aurum enim, ut ait Plautus, *multa multis sæpe suasit perperam.* Denique (ut eodem cum auctore concludam), *non ego omnino, lucrum omne esse utile homini, existimo.* Vale.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA FRANCISCO DIONYSIO A BURGO SANCTI SEPULCHRI S. P. D.

Moderationem animi cuique probandam, eamque maxime suadendam Regi.

Quamvis non sim nescius, quanto plus sub multorum, quam sub unius imperio Romana res creverit, multis tamen et magnis viris visum scio felicissimum reipublicæ statum esse, sub uno, eodemque iusto, principe. Ita pugnare simul auctoritas et experientia videntur. Sed maior est quæstio, quam ut tam brevi sit explicanda litterula. Certe, ut nostrarum rerum præsens

Nota. **Quæ de divitiis in cultum D. O. M. impensis in hac epistola leguntur, adeo a probata Ecclesiæ doctrina abhorrent, ut iure meritoque nonnulli, quos inter Thomasinus et Bzovius, eius auctorem Petrarcam fuisse negent.**

[redacted]

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ A S. VITO S. P. D.

Scientiam quæ catholicæ fidei adversetur in odio habendam esse, nec scientiæ nomen mereri. Multa de urbe Roma.

Deambulabamus Romæ soli. Meum quidem obambulandi peripateticum morem nosti. Placet; naturæ moribusque meis aptissimus est. Ex opinionibus quædam placent, aliæ autem minime. Non etenim sectas amo, sed verum. Itaque nunc peripateticus, nunc stoicus sum, interdum academicus; sæpe autem nihil horum, quotiens quidquam occurrit apud eos, quod veræ ac beatificæ fidei adversum suspectumve sit. Ita enim philosophorum sectas amare et approbare permittitur, si a veritate non abhorrent, si nos a nostro principali proposito non avertunt; quod ubi forte tentaverint, seu ille sit Plato, seu Aristoteles, seu Varro, seu Cicero, libera contumacia contemnantur omnes, atque calcentur. Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat auctoritas: homines fuerunt; quantum humana inquisitione fieri potuit, et notitia rerum docti, et eloquio clari, et naturali ingenio felices, sed supremi et ineffabilis obiecti privatione miserabiles; et, ut qui viribus sui fiderent veramque lucem non requirerent, cæcorum in morem sæpe lapsi, sæpe ad lapidem offendentes. Itaque sic illorum miremur ingenia, ut ingenii veneremur auctorem: sic illorum compatiamur erroribus, ut nostræ gratiæ gratulemur, et cognoscamus, nos gratuito sine ullis meritis honoratos præ-

[redacted]

latosque maioribus ab illo qui arcanum suum, quod sapientibus abscondit, parvulis revelare dignatus est. Denique sic philosophemur ut, quod philosophiæ nomen importat, sapientiam amemus. Vera quidem Dei sapientia Christus est; ut vere philosophemur, ille in primis amandus nobis atque colendus est. Sic simus omnia, ut ante omnia Christiani simus. Sic philosophica, sic poetica, sic historias legamus, ut semper ad aurem cordis evangelium Christi sonet, quo uno satis docti ac felices; sine quo quanto plura didicerimus, tanto indoctiores atque miseriores futuri sumus; ad quod velut ad summam veri arcem referenda sunt omnia; cui tamquam uni litterarum verarum immobili fundamento tuto superædificat humanus labor; et cui doctrinas alias, non adversas, studiose cumulantes, minime reprehendendi erimus: etsi enim ad summam rei modicum forsan, ad oblectamentum certe animi et cultiorem vitæ modum plurimum adiecisse videbimur. Hæc incidenter, quantum locus iste capere visus est, dixerim. Procedo. Vagabamur pariter in illa urbe tam magna, quæ cum propter spatium vacua videatur, populum habet immensum; nec in urbe tantum, sed circa urbem vagabamur; aderatque per singulos passus quod linguam atque animum excitaret. Hic Evandri regia; hic Carmentis ædes; hic Caci spelunca; hic lupa nutrix, et ruminalis ficus, veriori cognomine romularis; hic Remi transitus; hic ludi circenses; hic Sabinarum raptus; hic Capreæ palus, et Romulus evanescens. Hic Numæ cum Egeria colloquium; hic tergeminorum acies; hic fulmine ictus victor hostium artifexque militiæ Tullus Hostilius; hic rex architecton Ancus Martius; hic

discretor (*sic*) ordinum Priscus Tarquinius habitavit: hic Servio caput arsit; hic carpento insidens atrox Tullia transivit, et scelere suo vicum fecit infamem. Hæc autem Sacra Via est; hæc sunt Esquiliæ; hic Viminalis, hic Quirinalis collis, hic Cælius, hic Martius Campus, et Superbi manibus decussa papavera. Hic miserabilis Lucretia ferro incumbens, et in mortem fugiens adulter, et læsæ pudicitiæ vindex Brutus. Hic minax Porsena et Etruscus exercitus, et infestus erranti dexteræ Mutius, et tyranni filius cum libertate concurrens, et hostem urbe depulsum ad inferos sequens consul, et fractus a tergo viri fortis pons Sublicius, et Horatius natans, et Tiberis revehens Clœliam. Hic erat Publicolæ nequidquam suspecta domus; hic Quintus arabat dum fieri meruit de aratore dictator. Hinc abductus Serranus ad consulatum venit. Hoc est Ianiculum, hic Aventinus, ille Sacer mons, in quo ter irata patribus plebs secessit. Hic libidinosum tribunal Appii fuit, et ferro patris iniuriæ subducta Virginia, et Decemviri luxuriæ dignus finis. Hinc Coriolanus armis forte victurus, suorum pietate victus, abscessit. Hoc saxum defendit Manlius, hinc excidit. Hic Camillus inhiantes auro Gallos subito repulit interventu, et desperantes cives amissam patriam ferro docuit recuperare, non auro. Hic descendit Curtius armatus. Hic inventum sub terram caput hominis, et immotus terminus præsagium summo et stabili imperio fuere. Hic fallax virgo armis obruta, et suis circumventa fallaciis. Hæc Tarpeia arx, et Romani populi census toto orbe collectus. Hic anser argenteus; hic custos armorum Ianus. Hoc Statoris, hoc Feretrii Iovis templum. Hæc fuerat cella Iovis; hæc domus omnium triumpho-

rum. Huc compulsus est Perses; hinc repulsus est Hannibal; hinc impulsus est Iugurtha, ut quidam opinantur; alii vero in carcere illum necant. Hic triumphavit Cæsar, hic periit. Hoc Augustus in templo reges affusos et tributarium orbem vidit. Hic Pompeii arcus, hæc porticus, hoc Marii Cimbrum (*sic*) fuit. Hæc Traiani columna, ubi ille unus omnium imperatorum, ut ait Eusebius, intra urbem est sepultus. Hic eiusdem pons qui Sancti Petri nomen invenit; et Hadriani moles, cui ipse quoque subiectus est; quod Sancti Angeli castrum vocant. Hoc est saxum miræ magnitudinis aheneisque leonibus innixum, divis imperatoribus sacrum; cuius in vertice Iulii Cæsaris ossa quiescere fama est. Hæc Telluris ædes, hæc Fortunæ domus, hoc templum Pacis, adventu vere pacifici regis eversum. Hoc opus Agrippæ, quod falsorum deorum matri veri Dei Mater eripuit. Hic ninxit nonis Augusti; hinc rivus olei fluxit in Tiberim; hinc, ut fama est, monstrante Sibylla, senex Augustus Christum vidit infantem. Hæc Neronis insolentia et in ædificiis fervens luxus. Haec Augusta domus, via Flaminia, ubi sepulchrum ipsius domini quidam tradunt. Hæc Antonini Columna; hoc eiusdem proximum Appiæ palatium. Hoc Severi Afri Septizonium, quam tu sedem Solis vocas, sed meum nomen in historiis scriptum lego. Hoc Praxitelis Phidiæque extans in lapide tot iam sæculis de ingenio et arte certamen. Hic Christus profugo vicario fuit obvius. Hic Petrus in crucem actus. Hic truncatus est Paulus, hic assatus Laurentius, hic sepultus venienti Stephano locum fecit. Hic sprevit fervens oleum Iohannes, hic Agnes post obitum vivens, suos flere prohibuit. Hic Sil-

[redacted]

vester latuit; hic lepram deposuit Constantinus: hic gloriosam Callistus exercuit Libitinam. Sed quo pergo? Possumne tibi in hac parva papyro Romam designare? Profecto, si possim, non oportet. Nosti omnia, non quia romanus civis, sed quia talium in primis rerum curiosissimus ab adolescentia fuisti. Qui enim hodie magis ignari rerum Romanarum sunt, quam Romani cives? Invitus dico. Nusquam minus Roma cognoscitur, quam Romæ. Qua in re non ignorantiam solam fleo (quamquam, quid ignorantia peius est?), sed virtutum fugam exiliumque multarum. Quis enim dubitare potest, quin illico surrectura sit, si cœperit se Roma cognoscere? Sed hæc alterius temporis est querela. Solebamus ergo post fatigationem, quam nobis immensa urbs ambita pepererat, sæpius ad Thermas Diocletianas subsistere: nonnunquam vero supra testudinem illius magnificentissimæ olim domus ascendere; quod et aer salutaris, et prospectus liber, et silentium ac votiva solitudo nusquam magis. Ibi de negotiis nihil omnino: nihil de re familiari, nihilque de republica, quam semel flevisse satis est: et euntibus per mœnia fractæ urbis et illic sedentibus ruinarum fragmenta sub oculis erant. Quid ergo? Multus de historiis sermo erat, quas ita partiti videbamur, ut in novis tu, in antiquis ego viderer expertior (et dicantur antiquæ quæcumque ante celebratum Romæ et veneratum Romanis principibus Christi nomen: novæ autem ex illo usque ad hanc ætatem); multus quoque de ea parte philosophiæ, quæ mores instruit, hinc nacta cognomen. Interdum vero de artibus et de earum auctoribus atque principiis. Itaque die quodam, dum in eam

[redacted]

mentionem incidissemus, flagitasti ut dicerem explicite, unde putarem liberales, et unde mechanicas initium habuisse: quod carptim ex me audieras. Feci quod iubebas haud duriter, quod hora diei, et vacuitas inutilium curarum, et ipse locus hortabatur, ut sermonem longiusculum ordirer; et attentio tua rem tibi admodum placere inditio erat. Testatus sum tamen, me nihil novum, nihil fere meum dicere, imo vero nihil alienum. Omnia enim undecumque didicimus nostra sunt, nisi forsan abstulerit ea nobis oblivio. Quæris nunc, ut quod illo die dixi repetam ac litteris mandem. Multa, fateor, dixi, quæ si, non mutatis verbis, dicere cupiam, non possim. Redde mihi illum locum, illud ocium, illam diem, illam attentionem tuam, illam ingenii mei venam. Potero quod unquam potui. Sed mutata sunt omnia; locus abest, dies abiit, ocium periit; pro facie tua mutas litteras aspicio. Ingenio meo relictarum a tergo rerum fragor officit, qui adhuc in auribus meis tonat: quamvis ob hoc ipsum in primis inde diffugerim, ut tibi liberius responderem. Parebo tamen ut potero. Possem te ad antiquos et ad modernos mittere, a quibus quod poscis accipies. Sed ne ita me liberem providisti, dum rogas ut dicam meis verbis quidquid id est; quod, ut ais, tibi omnia ex ore meo, cum gratius, tum clarius sonent. Gratiam habeo, sive ita se res habet, sive ut accendas animum, dicis. Accipe igitur quod tunc dixi verbis forte aliis, sed eadem profecto sententia..... Verum quid agimus? Nam et non parva res est, et epistola hæc abunde crevit, et nondum cœpimus, et diei huius extremum est. Vis parumper digitis meis atque oculis tuis parcam? Differamus quod restat in proxi-

mum diem, et laborem et epistolam partiamur, nec eadem papyro res diversissimas involvamus. Sed quid rursum cogito, quidve polliceor tibi diem proximum, epistolamque alteram? Nec diei unius opus est, nec epistolare negotium. Librum exigit, quem non prius aggrediar, si tamen curis maioribus non retrahor atque distrahor, quam in solitudinem meam me fortuna revexerit. Ibi enim, non alibi, meus sum: ibi meus est calamus, qui nunc passim rebellat, et recusat imperium, molestissimis occupationibus meis fretus. Ita ille qui ex ocio meo iuge negotium habet, ex negocio sibi ocium quærit, et quasi impius servus ac contumax, domini laborem in requiem suam trahit. Ubi vero primum fines meos attigero, suum ipse iugum subeat cogam, et de eo quod quæris seorsum singulari libro, quid aliorum scriptis, quid meis coniecturis assequor, scribam. Sane ut familiares epistolas ludens, et in ipso maxime viarum discursu tumultuque rerum scribere soleo; sic ad scribendum libros solitaria quiete dulcique ocio, et magno nec interrupto silentio opus est. Vale.

II Kal. Decembres: ex itinere.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ A S. VITO S. P. D.

Senectutem, paupertatem, podagram inter mala humanæ vitæ haud esse recensenda, vel forti saltem animo ferenda.

Una mihi tecum lis est, cum cæterarum rerum omnium sit tanta concordia. Nimis es querulus, nimis

indulges tibi sortem propriam deflere, miserari res tuas, excusare te ipsum, accusare fortunam; denique nimis molliter humana toleras, cum sis homo. Movit mihi, fateor, lacrimas epistolæ tuæ principium. Quid enim occultare cogitem affectus meos, et ubi constantiam tuam requiro, illic propriam dissimulare mollitiem? Certe ubi te lætum esse iubeo, mœstum me fuisse non inficior: sed est quo mihi interblandiar. Honestiores lacrimæ sunt in alienis calamitatibus quam in nostris; quamquam usque adeo sint nostra communia, ut nil proprie alienum dici possit ab altero, quod alterius nostrum sit. Idque non modo in tanta amicitia, sed ne in communi etiam societate hominum dici posse Satyricus ait, ubi viro bono nullum alienum malum, et humano generi pietatis ad inditium datas a natura lacrimas docet. Quod tanto ante Comicus dixerat: *Homo sum: humani nihil a me alienum puto.* Enimvero, licet id verum esse non negem, tamen haud dubie in hoc publico diligendi debito, gradus sunt, quibus ex amplissima, ut ita dixerim, humanitatis area, cognationis amicitiæque redigimur in angustum: et universalis amor omnium singulari quadam caritate paucorum ac benevolentia coarctatur. Sed quid rursus occultem tibi quod sequitur? Ut lacrimas epistolæ principium, sic risum mihi finis movit. Adversa sunt, inquies. Scio: licet interdum uno de fonte prodeant risus et lacrimæ. Non minus forsitan mœstus erat Democritus, qui *perpetuo risu pulmonem agitare solebat* (ut ait ille), quam madens perpetuo lacrimarum ore Diogenes (*Heraclitus?*). Nec lætior Hannibal, in calamitate patriæ solus ridens, quam populus qui lugebat. Sicut ex diverso, si Lucano credimus, non

mœstior in morte generi flens Cæsar, quam exercitus qui plaudebat. Sed ad te revertor. Prima igitur epistolæ tuæ pars id agit, ut multarum ac prope omnium congeriem ærumnarum uni tibi incubuisse diceres, sicut miserabili, sic magnifico quidem stilo. Legens, lacrimas non tenui, et tuarum lituris, ut dixeras, lacrimarum, novas addidi. Nescio enim quomodo, casus suos viriliter quam muliebriter lamentantem virum profundius miseramur. Prosequebar intentus animo atque oculis, et ipsa stili dulcedo blandiebatur ut legerem; quamvis longiuscula epistola esset. Ecce autem, dum cætera humentibus oculis perlegissem, expectans quid insolitæ et tantis querelis aequæ miseriæ patereris, totam malorum summam tribus in finem aut quatuor verbis incluseras: esse te Tibure, senem, pauperem, podagricum. Quibus in malis ferre te illud ægerrime, quod tibi nostræ spes ablata præsentiæ videretur. Neque enim te morbo vinctum loco moveri posse, neque ausurum de tam longinquo ad te amicum evocare, occupationum suarum non ignotis tibi ponderibus irretitum. Hoc flebilem epistolam fine concludis. Hic, fateor, risi. Et quid? dixerit quispiam; pauca hæc tibi videntur, an levia? Neutrum quidem; sed sunt adeo vulgaria, omniumque communia, ut pæne inhumanum sit penitusque ridiculum talibus incommodis indignari hominem vel mirari. Quis enim, ut a primis ordiar, quis hominum unquam vixit, qui non vivendo senuerit? Priscos illos patres multis sæculis protendisse vitæ spatium legimus. Numquid tandem et non senuisse legimus? Mitto illos qui in mundi primordio memorantur, quos, velut in ipsius sæculi iuventa editos in lucem, vegetiores atque vivaciores fuisse, ac

prope ad millesimum vitæ annum pervenisse confirmant. Sed eosdem, licet serius, tamen senuisse non negant. Hos, inquam, omitto, de quorum ætatibus magna inter magnos solet esse contentio; quæ præsentis nostri propositi non est. Ad illos venio quibus, ut minus mira, sic sensibus nostris accommodatior est ætas. Senuit Abraham; senuit Isaac, senuit Iacob. De quorum primo scriptum est: *Erat autem Abraham senex dierumque multorum;* et iterum: *deficiens mortuus est in senectute bona provectæque ætatis et plenus dierum.* De secundo: *Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi eius, et videre non poterat;* et rursum: *consumptusque ætate mortuus est, et appositus populo senex, et plenus dierum.* De tertio: *Oculi Israel caligabant præ nimia senectute, et clare videre non poterant.* Audis: ecce nec senectutem modo, sed oculorum quoque caliginem ac defectum. Moyses fortasse robustior, de quo, cum centum viginti esset annorum, et moreretur, ita legimus. *Non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Numquid ideo tamen non senuerat, quia solidior senex esset? Cuius successor Iosue bellator insignis, qui tot reges occidit, tot populos stravit, senio obstare non potuit, quin audiret Dominum dicentem sibi: *Senuisti et longævus es;* et ipse congregato populo diceret ad eos: *Ego senui et progressioris ætatis sum.* Ille vir, cuius voci Deus paruit, qui inaudita fiducia soli ac lunæ præcepit ut starent, et steterunt, numquid illum fugacissimæ diem vitæ continere potuit ne properaret, aut obviam senectutem retardaret? Quid David rex? Nonne et ipse *senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cumque operiretur vestibus, non calefiebat.* Is cuius et inter homines et erga

Deum tantus ardor fuerat, brevi adeo refriguerat senectute, ut accumbentis puellæ patrocinio uteretur. Qui de se ipso loquens: *Iunior fui*, inquit; et confestim addidit: *etenim senui*. Habes cui forte dierum numerum invideas, at non perpetuam iuventutem. Omne quod est ortum, necesse est, aut immaturum occidat, aut senescat, mox maturius occasurum. In sæcularibus historiis non æquam humanæ vitæ mensuram invenies; et si quid ibi tale deprehenderis, irrisive nonnunquam, potius quam historice dictum scito. Quippe supra Ninum Assyriorum regem, qui Abrahæ contemporaneus videtur, de excellenti rerum gestarum memoria, ut Macrobio placet, ne Græca quidem extat historia. Omnes igitur historici qui longissime retrocedunt, a Nino initium scribendi faciunt; multisque post illum temporibus, nostrorum senum incipimus exempla colligere. Itaque minime mirandum putant quidam; nam alii litigant, ut dixi, si, senescente iam mundo, et vita brevior, et fragiliora sunt corpora; et apud exteros quidem, et pauca de multis, sed illustriora perstringam. Diutissime vixit Nestor qui, ut scriptum est, tertiam iam ætatem hominum vivebat. Diu Hiero Syracusius, diu etiam Masinissa Numidarum rex; quorum alter nonagesimum annum attigit, alter excessit. Laudata Solonis, nec illaudata Sophoclis senectus; quorum primus, nunquam intermisso studio, semperque aliquid addiscens, senuit; secundus morti proximus nobilissimam tragœdiam ea quidem scripsit ætate, qua vix sui compotes esse solent, qui ad vitam illam veniunt. Isocrates orator, eadem prope ætate, quarto scilicet et nonagesimo vitæ anno, cum volumen eximium edidisset,

quinque annos supervixit, seram voluptatem sui operis percepturus. Homeri non tantum senectutem, sed et oculorum cæcitatem lego. Sed, an senectus an alia cæcitatis causa sit, nescio an tu legeris; mihi enim non occurrit. Qualem autem, et quam iucundam credimus Homericam senectutem, omnibus suis accumulatam et instructam curis, quarum parvæ reliquiæ, post annorum millia, tanta me dulcedine afficiunt atque perfundunt (puto idem aliis accidere), ut sæpe mearum immemor curarum, oblitusque præsentium malorum, totus in illius cæci senis memoria conquiescam? Carneades ad nonagesimum; Cleanthes ad undecentesimum; Gorgias Leontinus ad centesimum ac septimum vitæ annum tranquilla senectute pervenit. Chrysippus nono ac trigesimo anno cœptum miri opus acuminis, octogesimo moriens reliquit. Qua ætate Simonides in carminum se certamen descendisse commemorat. Ætate provectum Socratem legimus; et ibat ulterius, nisi venenatus obstitisset calix. Cuius præclarissimus ille discipulus Plato, uno et octoginta annis expletis, eodem ipso natalis sui die obiit; et in eo ipso, cui diutissime animum intenderat, exercitio litterarum. Cuius discipulus Aristoteles nonnisi ad tertium et sexagesimum accessit, quem periculosum numerum annorum, et humano generi vel morte vel insigni calamitate terribilem ferunt; et cur ita sit, rationes quidam, alii observationem solam experientiæ longioris afferunt. Utrumque sane, quid virium habeat, ipsi qui attulere discutiant: hunc, si vera memorant, vitæ scopulum humanæ ne transire posset noster Cicero, non senectute sua, sed Antonii crudeli ac nefario imperio, effectum est. Et quoniam ad nostros,

obvio Cicerone, perventum est, venerabilis apud nos Romani regis Numæ Pompilii senectus, sed venerabilior Catonis, Camilli, Fabii, Metelli, ac Valerii Corvini, quorum fere omnium una est ætas, centum anni: Appii quoque illius cæci, de cuius cæcitate omnium civium oculi et universa respublica consilium expectabant. Gloriosissime senuit Augustus, Pompeius infelicius. Verum non de fortuna, sed de ætate hic agitur. Certe Augustus ipse omnium maximus ac potentissimus monarcha post inceptum, ut quibusdam placet et quod nemo negat, diutissime summaque cum pace gubernatum imperium, inter multas Romanorum lacrimas, interque castissimæ coniugis amplexus, sexto ac septuagesimo ætatis anno placida morte subtractus est. Eamdem metam tenuit Augustinus, ut nomine, sic vitæ termino imitatus Augustum. Hieronymus vero vivacior fuit. Origenes ad septuagesimum vitæ annum venit. Tertium et sexagesimum Bernardus implevit. De Ambrosio Gregorioque non ita compertum teneo. Omnes tamen procul dubio senuerunt, providente illo, apud quem fons vitæ est, ne hi parum viverent, quorum vita multum profutura erat Ecclesiæ. Ad octogesimum annum venit Asinius Pollio. Marcus Varro vivendo et scribendo sæculi unius sortitus est spatium. Multa de sua senectute locutus est Seneca senex, aliquanto senior futurus, nisi ferox discipulus vetuisset. Permitte mihi, oro te, indulgentissime pater, permitte mihi, ut narrationem, quæ valde animum meum premit, huic loco inseram, te favente, et senectutis adhuc unicum exemplum, humile quidem ac recens, sed honestum, et cuius mihi dulcis ac veneranda recordatio est, tot gloriosorum senum

illustribus exemplis adiiciam, nunquam id, si apud alium loquerer, ausurus. Fuit mihi proavus paternus, vir sanctissimus, et ingenio, quàntum sine cultura litterarum fieri potuit, clarissimo, usque adeo ut eum non tantum de re familiari, de negocio, de contractu, de natorum nuptiis vicini, aut de republica magistratus, quod de Appio Cæco traditum accipimus, sed de rebus etiam altissimis et ad philosophiam spectantibus, litterati homines præsentes absentesque consulerent, omnesque in illius responsis et æquitatem iudicii et acumen ingenii mirarentur. Viro nomen fuit Garcius; his modis eaque pietate prædito, ut ad consecrandam viri memoriam nihil ei præter promotoris auxilium defuerit. Nuper me iam adolescentiam egresso, multi supererant de illo mirabilia narrantes, quæ sponte prætereo, hoc ipsum non dicturus, nisi ne fastidires exemplum. Is ergo, post innocue ac feliciter actam vitam, ut audiebam senes nostros dicere, quarto ac centesimo ætatis anno, ipso etiam, ut Plato, natalis sui die, sed trium et viginti annorum spatio vivacior quam Plato, et præterea eodem in thalamo in quo natus fuerat, longe ante prædicta multis transitus sui hora, in gremio filiorum ac nepotum, nulla corporis aut animi molestia, nil nisi de Deo et virtutibus loquens, inter loquendum quodammodo consopitus est. Quod ex eius ore sonuit extremum, illud Davidicum fuisse ferunt: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Quibus vix verbis explicitis, quiescens obdormivit in pace. Gratias tibi, pater amantissime, quod me hactenus passus es proavi mei memoriam repetere, et nomen eius his ad te litterulis occulere; quod nescio an usquam dignius quam inter egregios senes collocandum

esset. Sed quid ago? Brevis consolatio in longam historiam versa est. Dabis autem veniam, si scias quanta cum delectatione versatus sum cum his optimis atque lectissimis senibus, quibus te iam nunc, meque non multo post adscriptos cupio, etsi cæteris in rebus impares, at æquanimitate et patientia saltem pares. Ne enim me propositi prorsus oblitum putes, quis ægreferat se senem fieri, dum tales viros senes factos esse meminerit? Imo vero quis non magno cum gaudio participet sortem beatissimorum hominum, et alacri animo communem sibi cum talibus excipiat senectutem? Quis enim horum, seu quis omnino hominum, diu vixit et non senuit? Cuius longam vitam legimus non in senium desinentem? At nos voto contrario secumque pugnante, diu, imo semper, vivere cupimus; nunquam senescere, nunquam interire. Scio autem quid responsurus es: Horum te omnium non ignarum: illud dolere, quod ante tempus senueris. Communis omnium senescentium querela. Et Numa Pompilius, cuius supra mentionem feci, prima ætate canus fuit, et Virgilius poeta. Tota ætas nostra his lamentis abundat. Ego ipse non tam queri soleo quam mirari, quod canos aliquot ante vigesimum quintum annum habui; cum illud non exciderit, quod genitor quondam meus, in reliquis neque me sanior neque validior, quia, post quinquagesimum ætatis suæ annum, consulto speculo, supra verticem sibi unum forte capillum ambigua canitie albescentem viderat, plenus stuporis et querelarum totam non modo familiam, sed viciniam excitavit. Hoc est quod ævum nostrum dolet, hoc quod iuventus nostra conqueritur: multum brevi tempore variasse vivendi senescendique

[redacted]

modum. E quibus forte secundum fatear, primum negem. Senescunt solito citius, nec id forsan usquequaque verum est. Sed quod incunctanter affirmem, solito citius canescunt, sive id latens causa, sive curarum multitudo efficit. Profecto enim nostri maiores melioribus, nos pluribus curis involvimur. Nihil est autem quod magis præcipitet iuventæ florem, quam curarum anxietas et labor animi. Cæterum vitæ modus, nisi eum casus aut culpa præsecuerit, idem propemodum permanet, qui psalmographi præscriptus est carmine. Sed quoniam tua me religiosa modestia certum facit, non te canos conqueri (quos potius amplecti, etsi intempestivi essent, ac gaudere non dubito, si, quod Stilichoni suo Claudianus attribuit,

Vultus factura verendos
Canities festina venit),

verum alia quædam senectutis incommoda lamentari, quæ plura apud alios, apud Tullium sunt quatuor: imminutio virium, avocatio a rebus gerendis, ademptio voluptatum, mortisque vicinitas; multa quidem hoc loco in tuam consolationem dici possent: sed rem a Tullio ex intentione tractatam refricare, temeritas. Habes eius de Senectute librum, qui inscribitur *Cato maior*; quo lecto, nihil erit quod requiras amplius, ut reor, nihilque quod non modo non molestam, sed non plane gratissimam senectutem faciat tibi. Nam quantum ad celeritatem anticipatumque tempus attinet, hoc unum dixerim. Sicut enim ubicumque mors occurrit, senectus est nostra (quod doctissimis viris placet), sic ubivis debilitas corporis affuerit, senectus nostra est. Nam ut vitæ

terminus est mors, sic floridæ validæque iuventæ terminus est, quandocumque incidens mansura debilitas. Sive igitur totius, sive robustioris vitæ finis dici senectus debet, qualibet ætatis parte se offerat, datum tempus implevimus, et legitima est senectus. De paupertate quid putas dicam? Quis non est pauper, nisi qui nihil cupit? Hi qui ditissimi videntur, eo cæteris pauperiores sunt quo pluribus egent; cum necessariis egere, ea demum sit paupertas. At isti procul a vero falsis opinionibus acti, sibi necessaria fecerunt, quæ apud minus insanos voluptuosa quidem, apud sanos vero supervacua, postremo autem apud doctos damnosa etiam atque omni studio fugienda sunt. Vere itaque sunt omnium pauperrimi, innumerabilium egeni, et vel assecutione rerum optatarum accendentes indigentiam, vel expectatione torquentes. Nec sum nescius, quid ad ista respondeant: contemni paupertatem aliquando difficilius re, quam verbo. Non obluctor: dura res est, fateor. Sed, Dii boni! quam tuta, quam secura, quam expedita, quam libera, quam denique, si amare illam in animum duxerimus, iucunda! Sed desinamus paupertatem laudare et amare divitias. Et revera quotus hominum invenitur, qui cum paupertatem valde laudaverit, laudatam tota intentione non fugiat? Victa erit, et in æternum ab animis hominum relegata, vel potius extincta cupiditas, si quot laudatores habet paupertas, totidem habeat amatores. Habebit autem multo plures si innotescere cœperit quid boni habeat, quid quietis ac felicitatis adducat. Hactenus tamen, ut ætate Lucani erat, munus Dei est, nondum mortalibus intellectum, nisi admodum raris; in quibus sunt exempla illa claris-

sima, Valerius, Cincinnatus, Curius, Fabricius, Regulus non diutius quam dum leguntur audiunturve, et tunc quoque nonnisi superficie tenus animos cæcos avaritia et cupiditate tangentia. Sed multo maxime sacratissimi senes nostri, qui circumiverunt orbem terrarum, veritatem ingerendo pectoribus hominum, in fame et nuditate lætissimi, victisque et calcatis necessitatibus triumphantes, quorum nudis pedibus non erat tellus digna calcari. Aude, te ipsum talibus exemplis inserere: *aude hospes contemnere opes* non fortuito neque indeliberate. Aude inquam. Plures ad contemptum vitæ, et ad effundendum proprium sanguinem proiiciendasque animas, quam ad contemnendas divitias, fuere magnanimi. Aude igitur, et tu hospes, qui non habes hic mansuram stationem, deponere sarcinam, libertatis amatoribus importunam, tanto tutius ad patriam perventurus quanto expeditior incesseris. *Aude*, inquam, *contemnere opes*, *et*, quod sequitur, *te quoque dignum finge Deo.* Quis enim dubitet opes potentiamque contemnere, dum meminerit (ut sileam cæteros) Christi sacram atque humilem paupertatem; præcipue si huic cogitatio illa succreverit, quantum calamitatum quantumve discriminum istæ omnibus votis exoptatæ expetitæque divitiæ secum ferant? Certe Salomon is qui apud Hebræos sapiens habetur, ut Licurgus apud Lacedæmonios, Solon apud Athenienses, Cato vel Lælius apud nostros, non divitias neque paupertatem optat a Deo, superbiendi scilicet desperandique materiam. Quid ergo? *Tantum victui meo tribue,* inquit, *necessaria.* Quem secutus Apostolus, *habentes victum*, inquit, *et quibus tegamur, his contenti simus.* At

nos non modo divitias optamus, sed in his ipsis nihil magis appetimus quam quod nocet, luxum scilicet et excessum. Quid enim, oro te, quid est in avaritia quod delectet? Nempe nil aliud, quam quærendi labor, quam servandi pavor; nil, inquam, aliud quam timere ruinas, incendia, rapinas, domesticos et externos fures, ad extremum mures ac tineas, esse semper occupato animo ac mœsto, omnes curas ipsumque cor viventis in auro sepelire; cum sit scriptum, *ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum.* Vere ergo misera est *magni custodia census.* Sed hæc nobis accidunt nescientibus, ut ait Flaccus, *quid valeat nummus, quem præbeat usum.* Sic affectis si honestus divitiarum modus accesserit, paupertas dura videbitur. Sunt sine ulla difficultate fortunæ illi duo divitiarum gradus a Seneca descripti: habere quod necesse est; habere quod sat est. Accedat et tertius, quod abunde est, et quartus adcrescat, quod multum est: nihil actum putabitur, donec ad id anhelando et æstuando pervenerimus, quod nimium est. Ita nisi nocere cœperint, nisi causas miseriarum et laborum, et forsitan festinatæ mortis attulerint, divitiæ non erunt. Sed quid rursus ago, qui tibi adversus paupertatem arma conquiro? Quæcumque de hac re non tantum dici, sed cogitari possunt, nota sunt tibi. Unum erat in animo præter vulgata hæc, quod tibi non subtraham. Equidem ut evacuatio prægravato corpori, sic tibi necessaria est paupertas. Tergiversentur licet, ut audio, quidam ex vestris, et cavillentur; paupertatem tamen vel expresse vel tacite novisti. Bene habet. Tu illam fugiebas, illa te sequitur. Iamque attigit arripuitque votis optanda necessitas, quæ te cogat implere quod debeas. Christi

servus es; scis quid illi conveneris. Sile, patientiam habe. Non te possum æquis auribus audire. Perinde mihi paupertatem defles, quasi nescias, nudum te intrasse in hanc vitam, nudum egressurum; et quasi non paupertatem Christi, sed Crœsi divitias sis professus. Crede mihi, pater; paupertas sæpe multis utilis ad salutem fuit. Nulli unquam inutilis, nisi his qui eam impatientia et lamentis exasperant. Tibi quidem adeo non tantum utilis, sed necessaria et salutaris est, ut sine illa neque salvus esse, neque creatori tuo potueris pacta servare. Hæc in præsens de honesta et sobria paupertate perstrinxerim. Illa enim importuna et sordida, quæ turpis egestas apud poetam dicitur, Deo gratias, te non tangit; ad quam leniendam maioris eloquentiæ viribus opus esset. Iam hinc ad podagræ remedia veniendum est. Oh si quis eo morbo tentus in hanc epistolæ partem forte oculos coniecerit, quam putas spem concipiet fomenti cuiuspiam, aut pulveris, aut lenitivi cuiuscumque consilii? Desinat ex me talia sperare. Volo labori suo parcere: si ex his litteris hoc sperat, ulterius non legat. Huius enim generis remedia medicorum eruditiores magna ex parte desperant. Reliquos si consulas, nihil homini diviti desperandum, nihil inopi sperandum dicent; cum tamen sæpius divitum domos hæc pestis inhabitet. Si hos igitur audire volueris, præstabunt tibi ut inter angustias præsentum dolorum et futuræ sanitatis spem semper ligatus ulules, semper oleo tristitiæ unctus atque unguentis madidus ingemiscas. Ego vero te siccum solutumque ac liberum dolere maluerim. Diæta, exercitio, laboribus adversus novum hostem solidare corpusculum et

[redacted]

hac in re nihil a medicis sperare præter verba. Si quid adversus podagram auxilii est, totum a paupertate; vel si id frustra sit, ab animi moderatione poscendum. Podagræ medicina optima paupertas est, seu illam necessitas, seu voluntas attulerit. Ultimam hanc frugalitatem vocant, quam definiunt voluntariam paupertatem. De his autem alia ad te olim epistola satis dixisse videor (quando nondum ad me nisi podagræ solius fama pervenerat), si unum quod tunc me latebat illis addidero: credere me, divinitus permissum ut podagræ paupertas accesserit; ut, sicut ex quibusdam venenosis animantibus fit remedium veneni, et sicut apes ex quibusdam herbis amarioribus dulcissima mella conficiunt, ita tu malis tuis non aliunde quam ex tuis malis possis conflare remedia. Et de paupertate quidem remedioque quod illa secum habet, hactenus. De animi autem moderatione patientiaque, longior sermo est, auctoritatibus, rationibus et exemplis instructus. Hic occurrit Marius, hic Marcus Attilius, hic integræ Romanæ legiones. Nulla enim gens in hac gloria par est. Hic ex alio genere hominum Posidonius, Anaxarchus, et quo vilius, eo, nisi fallor, efficacius exemplum, servus Afer ultor domini a Tito Livio relatus, qui tormentis laceratus, non modo non ingemuit, sed superante lætitia dolores, speciem quoque præbuit ridentis. Innumerabilia sunt id genus, e quibus non modo epistolam impleas, sed librum. Verumtamen, ut dixi, post Ciceronem verecundum modestumque silentium videtur. Est secundus illius inter Tusculanas disputationes liber, quem sæpe salubrem in meis doloribus expertus, aliquot insignes viros audivi de libri illius efficacia simi-

lia memorantes. Illum tibi familiarem facias velim; illum in manibus habeas, quotiens notis indiciis adventare podagricum senseris dolorem. Quamquam est alia multo dulcior multoque suavior, et docto ac religioso viro dignior medicina in omnibus laboribus ac doloribus nostris, quibus carere nequit vita mortalis, meminisse laborum ac dolorum quos pro nobis Christus pertulit; meminisse vulnerum, quibus vulnera nostra sanata, nosque periculo sempiternæ mortis erepti sumus; meminisse clavorum ac lanceæ, pretiosissimique sanguinis, quo lavacro, sordibus ablutis, recreati, et clementer admoniti sumus, temporales alto animo calcare molestias; nihilque nisi æternæ damnationis, et pœnarum immortalium supplicia formidare. Illud insuper meminisse profuerit, non modo Christum, cui propter Deitatem suam, propter incomparabilem gloriam inaccessibilemque potentiam, omnia prona erant atque facilia; sed candidatum quoque quem vocant martyrum exercitum, multosque, ut nos sumus, mortales homines, et (quod miraculi clarioris est) non modo viros fortes, sed sæpe etiam mulierculas ac puellas, divino spiritu afflatas, illa pertulisse, in quorum comparationem quidquid pateris quies atque solatium dici possit. Trita hæc, et tibi in primis professionis tuæ debito notissima. Ideoque diutius non insisto, ad secretiora festinans. Est remedii genus, quod tu forte non cogitas; quod cum legenti mihi litteras tuas subito occurrisset, risum movit, ut dixi. Nolo autem indigneris, me, quod in meis sæpe soleo, in tuis malis etiam iocari. Non in doloribus tantum, sed in morte iocari solitos viros fortes doctosque comperimus. Testes sunt Vespasianus princeps, et

Socrates philosophus: patere, me in pedum tuorum doloribus idem facere; quamquam non merus, sed veritate conditus, iocus est meus. Quid enim putas? Recense, pater, ab adolescentia cursus tuos, et animum stare nescium. Videbis, ut frenum equo indomito, sic tibi necessariam podagram. Esset necessaria forsan et mihi, ut iam tandem stare loco discerem, ac mecum habitare. Tibi tamen, procul dubio, ante omnes quos ego noverim, necessaria est. Isses extra nostræ habitabilis zonæ terminos; transisses Oceanum; adisses antipodas; nullum tibi discurrendi finem, qua polles in reliquis, ratio fecisset. Quid multa? Non alio quam podagræ auxilio sisti quibas. Illa tibi frenum stringit, iubetque consistere. Quid ais? Parebis, velis, nolis. Noli autem iniuriam arbitrari. Nihil cuipiam tempestivius accidit, nihil unquam opportunius. Fluitantem carinam magister puppis fune vel ancoris regit; et tibi prope terram unde primum in altum es evectus ancora iacta est. Permisit tibi tua sors vagam ac laboriosam iuventutem: nec senectuti daturus ferias videbaris. Podagræ beneficio quiesces. Vagum et instabile iumentum cautus pastor alligat, ubi, discursu vetito, quiescendi pascendique sit facultas. Agnosce pastoris tui providentiam. Non te in Perside, non in Arabia vel Ægypto, ubi velut in suburbano vagabaris tuo, sed in patriam integro membrorum obsequio reversum, post peregrinationes innumeras, et (si te novi) nunquam tuo iudicio desituras, uberrimis et amœnissimis alligavit in pascuis. Ad cumulum enim gratiæ cœlestis accedit quod non te Romæ clausit, ubi et propriis et familiæ tuæ titulis es clarior, quam quieti tuæ expedit. Sed nec procul, et

extra prospectum dilectæ Urbis amovit. Quid ergo? Tibur tuo senili ocio deputatum est, provisumque ne fugias. Doles, et non potius Deo gratias agis, qui te tot terrestribus maritimisque periculis, totque tam longis anfractibus ereptum, *hac demum voluit consistere terra,* ut ait Maro; ubi scilicet animæ simul et corporis alimenta non desint? Libri tui, fervor tuus, ingenium tuum, et purissimi aeris et nitidissimarum species aquarum, et pulcherrimæ telluris amœnitas tetricum licet et agrestem animum mulcere queunt; ubi semper adsit patriæ perdulcis aspectus, amicorum moderata propinquitas, submotis tædiis, absente fastidio, quæ tibi vel immensæ urbis strepitus, vel iugis fortasse tot notorum conversatio peperisset. Fruere bonis tuis gratanter, æquanimiter, pacifice. Melius tibi accidit quam putabas; commodiorem toto orbe locum nequivisses eligere, quam quem tua tibi sors obtulit. Sed instabis, et, Cur non, inquies, sine hac corporis iniuria? Iubes respondere quod sentio: Animus tuus vinculis egebat. Id non ad infamiam, sed in partem laudis accipias precor. Quo enim fertilior est ager, eo pluribus abundat compescendis extirpandisque, ut seges utilior coalescat. Et sæpe quo generosior atque validior, eo ferocior est equus et tenacioribus vinculis egens. Esses nunc, ut auguror, in aliquo mundi angulo: iam Nilum, iam Indum, iam Tanaim transnatares: iam Rhiphæos montes, aut Hercynii saltus dumeta transcenderes, vagus semper et profugus super terram. Occurrit pietas illius, qui solus morbos nostros et morborum nostrorum medicamenta cognoscit, non idcirco minus utilia, quoniam amariora sunt. Illa magis ingenua videri potest, et humanitate tua

dignior querela, quod præsentiam atque convictum meum valde suaviter requiris; et in quo unice tibi complacebas, ut dicis, tum cum maxime delectaret, ablatum luges. Enimvero nihil negotii est hic. Si es amicus, imo vero si pater (neque enim alium te pietate eximia et paternis semper affectibus comprobasti), nullus tibi me locus, nullum tempus eripiet. Pone me in supremo Atlantis Medusæis luminibus durato vertice, te in rupe Caucasea, ubi vinctus Prometheus de Iove conqueritur; simul sedebimus, simul ambulabimus, simul cœnabimus, simul fabulabimur, simul seria tractabimus. Nihil unquam interveniet quod vicinos cernere et audire prohibeat. Volucer est amor; non terras tantum, sed cœlum transit et maria: nec podagram novit ille, nec compedes; liberrimus est, et fortuna licet obluctante, ubi voluerit, præsens. Miraris? Mortis quoque nescit imperium; et quod illa videtur abstulisse, complectitur. Itaque versos in cinerem, apud illum integros invenies. Et natum Octavia, virum Artemisia, amicum Lælius, invita morte, et effractis, ut ita dixerim, tumulis, vivos habent ac præsentes. Habe igitur me; nam et ego te habeo. Nulla mihi sine te dies agitur, nulla nox, nullum iter, nulla consessio: ubique tecum sum. Quod si forte (quoniam negare non possum, dulce quiddam et iucundum in se habere præsentiam amicorum; modo illud mihi non negetur, sæpe dulciorem esse memoriam, et, quod nollem, sæpe delicatam esse præsentiam), si ergo ad solatium vitæ tam tibi utilem præsentiam meam putas, duplex ad id via est. Nam et ego supra spem tuam ad te venire tuumque et Horatii vatis æstivum habitaculum videre, quantum-

que desiderio tuo sufficiat manere, non renuo. Et tu si ad me videndum venire malles (humanus enim animus his dulcius frui solet, quæ laboriosius quæsivit), monstrabo tibi viam, in qua nec pedum vitio tarderis, nec terram cogaris plantis attingere. Inter servorum manus ad Anienem Tiburtina mœnia prælabentem perges. Ibi naviculæ impositus prono alveo descendes, donec ad dexteram Tiberis occurrerit. Inde iam latiori amne per ipsius urbis Romæ mœnia ad mare pervenies. Inde etiam dextrorsum, sed fortiori alveo creditus, Tyrrheni sinus æquoris obibis: donec longe relicta Massilia, rursus ad dexteram rate fluminea Rhodani ostio subvehare, qua vetus Arelas palustribus vadis, et lapidosa planitie, mox in rupe horrida tristis sedet Avenio, quam nunc Pontifex maximus Romanus, propriis sedibus desertis, obstante, ut arbitror, natura, caput orbis efficere nititur, et Laterani immemor, et Silvestri. Inde, semper adverso flumine, tribus passuum millibus, aut paulo amplius ascendens, argenteum gurgitem obvium habebis; ad dexteram flecte iter. Sorgia est placidissimus fluviorum; cuius aquis XV, aut circiter passuum millia conscendens, nulli secundum, fontem, lucidissimi amnis originem, videbis, et incumbentem scatebris præaltam rupem, ut iam transiri ulterius nec possit, nec oporteat. Ut enim dextera et secunda sint omnia, illic tandem in terram depositus ad dexteram me videbis. Ubi enim procul ab Italia possim esse tranquillius? Videbis autem modicis, sed umbrosis hortulis, angustoque contentum hospitio, sed quod tanti hospitis adventu factum putes angustius. Videbis quem desideras optime valentem, nullius egentem rei, nil magnopere de fortu-

næ manibus expectantem. Videbis a mane ad vesperam solivagum, herbivagum, montivagum, fontivagum, silvicolam, ruricolam, hominum vestigia fugientem, avia sectantem, amantem umbras, gaudentem antris roscidis, pratisque virentibus, execrantem curas curiæ, tumultus urbium vitantem, abstinentem liminibus superborum; vulgi studia ridentem, a lætitia mœstitiaque pari spatio distantem; totis diebus ac noctibus ociosum, gloriantem musarum consortio, cantibus volucrum et lympharum murmure; paucis servis sed multis comitatum libris; et nunc domi esse nec ire, nunc subsistere, nunc querula in ripa, nunc tenero in gramine lassatum caput et fessa membra proiicere; et (quæ non ultima solatii pars est) neminem accedere nisi perraro, qui vel millesimam vaticinari possit suarum particulam curarum. Ad hæc modo obnixum defixumque oculis tacere; modo multa secum loqui: postremo se ipsum et mortalia cuncta contemnere. Ecce, pater, dum te voco, veniendi laborem abstulisse videor. Si enim hæc perlegis, et fidem habes, abunde me vides. Iam tandem (tecum enim colloqui videor) epistolam me scribere sum oblitus. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, III Kal. Iunii.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ A S. VITO S. P. D.

Usum exemplorum defendit, eorumque utilitatem demonstrat.

Exemplis abundo, sed illustribus, sed veris, et quibus, nisi fallor, cum delectatione insit auctoritas. Pos-

[redacted]

sem, aiunt, paucioribus uti; fateor, possem et sine exemplis agere: nec istud inficior: quippe cum et tacere possem, et forte consultius: sed in tot mundi malis, inter tam multa dedecora, tacere difficile est. Satis patientiæ præstitisse videor, quod nondum satyræ calamum applicui, cum diu ante hæc monstra scriptum videam, *difficile est satyram non scribere.* Multa passim loquor, multa etiam scribo, non tam ut sæculo meo prosim, cuius iam desperata miseria est, quam ut me ipsum conceptis exonerem, et animum scriptis soler. Verumtamen si ratio quæritur, cur exemplis interdum affluam, curioseque in his videar immorari, dicam: puto lectorem eo animo esse, quo sum ego. Me quidem nihil est quod moveat quantum exempla clarorum hominum. Iuvat enim assurgere, iuvat animum experiri an quidquam solidi habeat, an generosi aliquid, atque adversus fortunam indomiti et infracti: an sibi de se ipse mentitus sit. Id sane, præter experientiam, quæ certissima magistra rerum est, nullo melius modo fit quam si eum his, quibus simillimus esse cupit, admoveam. Itaque sicut omnibus, quos lego gratiam habeo si mihi sæpe propositis exemplis hanc experiendi facultatem dederint; sic mihi gratiam habituros spero qui me legerint. Fallor forsan in hac spe: tu tamen in hac narratione non falleris. Hæc enim una vera rei causa est. Altera est quod et mihi scribo: et inter scribendum cupide cum maioribus nostris versor, uno quo possum modo; atque hos, cum quibus iniquo sidere datum erat ut viverem, libentissime obliviscor. Inque hoc animi vires cunctas exerceo, ut hos fugiam, illos sequar: sicut enim horum graviter conspectus offendit, sic illo-

rum recordatio magnificique actus, et clara nomina incredibili me afficiunt atque inæstimabili iucunditate: quæ si omnibus nota esset, multos in stuporem cogeret, quod ita cum mortuis esse potius quam cum viventibus delecter. Quibus veritas responderet, illos vivere, qui cum virtute et gloria diem obierunt; hos inter delicias et falsa gaudia exultantes, luxu somnoque marcidos, vino graves, etsi vivere videantur, esse tamen adhuc quidem spirantia sed obscœna iam et horrenda cadavera. Verum hæc inter doctos et indoctos æterna lis maneat; ego sequar inceptum. Habes ergo quod interrogationi tuæ, quodque quorumdam qui tecum sunt admirationi modo responsum velim, cur exemplis abundem veterum illustrium; quod et aliis profutura spero, et mihi scribenti ac legenti profuisse admodum, certe scio. Deinceps, quoniam nihil ab uno homine, quod omnibus hominibus placeat fieri potest, mirentur improbentque si libet. Certe ego, ne propter alienum murmur intermisisse videar morem meum, inserere huic etiam epistolæ aliquot exempla non desinam, et quid exempla possint exemplis ostendam. Omnes qui ante Marium a medicis secabantur vinciri mos fuerat; quia enim dolorem corporis animi robore superari non posse persuasum erat, vinculorum auxilio utebantur. Primus Marius solutus sectus est; sed post eum plurimi. Cur, quæso? nisi quia exemplum viri constantissimi atque fortissimi ad imitandum animos erexit, et (ut compatriotæ sui verbo utar) valuit auctoritas. Bello Latino Decius consul se ipsum pro legionibus, et pro populi Romani victoria devovit. Res dictu quam executione facilior, sponte tua mortem oppetere.

ut alteri victoriam quæras. Tam efficax tamen exemplum fuit et tam validum, ut bello Samnitico ac Gallico filius Decius, et ipse consul, patris imitator existeret, et nomine patrem vocans securus iret ad mortem, quam pro salute suorum civium contemnere, illo auctore, didicerat. Quos bello Tarentino adversus Pyrrhum imitatus nepos, tertia tandem uno de grege victima, etsi non eodem infularum habitu, pari tamen animi virtute eademque reipublicæ pietate procubuit. Nunquam talis vir Themistocles fieret, nisi Miltiadis exemplis accensus, fieri illi parem in animum induxisset. Nunquam Iulius Cæsar in illud gloriæ culmen ascendisset, nisi mirari et imitari Marium ab adolescentia didicisset; quin et Alexandri profuit imago in templo Herculis Gadibus conspecta, qua mox ad cupiditatem magnas res agendi non exarsit modo, sed, ut ait Tranquillus, ingemuit. Profecto autem si statuæ illustrium possunt nobiles animos ad imitandi studium accendere (quod Q. Fabium Maximum et Q. Cornelium Scipionem dicere solitos Crispus refert), quanto magis ipsa virtus hoc efficit, claro dum proponitur non marmore, sed exemplo? Corporum nempe lineamenta statuis forsan expressius continentur: rerum vero gestarum, morumque notitia, atque habitus animorum haud dubie plenius atque perfectius verbis, quam incudibus exprimuntur. Nec improprie mihi videor dicturus statuas, corporum imagines; exempla, virtutum. Quid de ingeniis loquar? Imitatio unum insigne par siderum linguæ latinæ Ciceronem ac Virgilium dedit, effecitque ne iam amplius Græcis ulla in parte eloquentiæ cederemus. Dum hic Homerum sequitur, ille Demosthenem, alter ducem suum

attigit, alter a tergo liquit. In omni hominum genere licet ostendere idem; sed in eo quod in me reprehenditur arctius, nolim hodie nimius videri. Unum etiam nunc exemplum tibi notissimum quominus interseram temperare nequeo. Siquidem quem vitæ callem arriperet diutissime fluctuanti Augustino, et Antonii et Victorini rhetoris ac martyris profuit exemplum; nec non et illorum duorum in rebus agentium apud Treveros repentina conversio, quam cum sibi Pontianus, miles imperatorius, enarrasset (ipsius Augustini verba tenes, octavo, nisi me memoria frustratur, *Confessionum* libro posita), *exarsi*, inquit, *ad imitandum*. Ad hoc enim et ille narraverat. Hæc ergo consilii mei ratio est, propter observatores ac miratores meos sæpius iteranda. Video enim quam multis exempla contulerint ad virtutem, et quid in me agant sentio, et de aliis idem spero. Si fallor, res periculo abest, et quibus exempla non placent, non legant. Neminem cogo; et si me rogas, a paucis legi malim. Vale.

Avenione, VII Kal. Octobris.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA BARBATO SULMONENSI S. P. D.

Deplorat cædem Andreæ regis Siculi.

Heu quam violenti, quam inevitabiles sunt fortunæ exitus vel prævisi! Sæpe quidem, ut nosti, Barbate amantissime, de fortuna deque aliis quibusdam loqui soleo, ut vulgus, ne in sermone vulgari singularis appaream; si seorsum interroger, responsurus fortasse longe aliter. Sed transeo, ne, si hæream, acturus aliud, de hac re supervacuis disputatiunculis implicer abstraharque. Ut autem cœptum sequar, et fortuna omnipotens et ineluctabile fatum non cum vulgo solum, sed cum maximis atque doctissimis quibusdam viris, et in primis cum Virgilio, videri possit; nisi et unus Omnipotens, et fati nomen in ore catholico suspectum foret. At quæcumque vis illa sit, seu Dei iudicio seu permissu res hominum versans, haud dubie magna vis et prorsus ineluctabilis est, et adversum quam frustra imbecillitas nostri conatus accingitur. Nam incursu facili consilium humanum opprimit mali moles, et mortale remedium discutit invicta necessitas. Id si unquam alias, nunc maxime intellectum conspectumque clarissime est. Rogo quid novi, quid inopini accidit? Quis non ista præviderat? Et prævidisse quid profuit? Tam profunde enim totis regni præcordiis se nequitiæ dirum virus infuderat, ut iam nisi mortiferum esse non posset. Tantum audaciæ, tantumque licentiæ reproborum, tanta piorum desperatio, tantus mœror incesserat. Erant

crebra undique velut instantium procellarum signa. Graves frontes turbida nubes obduxerat, et turbida pectora pugnaces urgebant venti. Fulgurabant oculi ardentes, flabant ora minacia tonabantque; prope erat ut manus impiæ fulminarent. Æquor aulicum iam tumebat: iamque æstus horrisonus et reciproci fluctus, et obscœnæ aves, et peregrina prodigia vestris late litoribus recursabant. Morte regis mutata regni facies, et cum unius viri anima, omnium vigor et consilium evanuisse videbantur. Spectabamus hæc omnes, futurisque non secus ac præsentibus angebamur malis. Loqui autem quis auderet ubi vix liberi cogitatus erant, et non tantum vocibus, sed nutibus parata supplicia? Quamobrem in triviis muti omnes; in thalamis murmur ambiguum, mœsta præsagia, et impendentium nuntii malorum, taciti augures, metus ac dolor. Denique sic apertis oculis torpuerant animi, quasi quos vicini fulminis lux horrenda perstringeret. Nemo, nisi fallor, unus hominum me apertius timuit, doluitque liberius. Nemo illa curiæ portenta et introspexit acutius, et contumacius aut lingua percussit aut calamo. Heu quanta, quamque evidens proverbiorum fides! Mala vaticinetur, inquiunt, qui vates veridicus fieri vult. Et iterum: raro ulla calamitas sola venit. Sic est, sic ab antiquis audivimus, sic videmus. Magna semper ærumnarum acies; incomitatæ non prodeunt miseriæ. In multas incidisse se noverit, qui in unam incidit. Equidem ut in tanta malorum copia miseros multos esse necesse est; sic in tanta bonorum inopia, felices paucos. Et sane miseris miserorumque gemitibus ac querelis referta sunt omnia. Contra autem, quam sit mortalibus

rara felicitas, quis non videt? Cum et in hoc vitæ tramite si acriter intueare, fortunæque phaleras diligenter excutias, nemo usquam vere felix, aut votorum plene compos occurrat; et, apud scriptores rerum, vix comitem unum procul in ultimis Arcadum latebris felix ille habitus Metellus invenerit. Quibus ita se habentibus, quis miretur, ut in hominum turbam coniecta spicula, sic in congeriem malorum missa vaticinia non errare, utque ad vivum illa, sic ad verum ista pertingere? Meministi, amice, ut olim præsens verbis, vivo adhuc, mox extincto rege, cui soli suum hoc et proprium nomen fuit, absens litteris, nec multo post præsens iterum, viva voce non sine suspiriis quid sentirem, quidve in posterum præsagirem, quasi iam tunc venturi certus, explicui. Videbam enim subtractum regni fastigio fundamentum; erantque sub oculis corruentis regiæ graves casus. Caput adolescentis innocui primum omnium hac ruina oppressum iri, fateor, non videbam. Nescio quid obstabat feralibus coniecturis, id unum quod in malis pessimum erat abscondens; quamquam (ut meminisse videor) iam inde primis ad te litteris agnum lupis obiectum utinam non tam certo dixerim augurio. Et profecto luporum morsus ac rabiem, et illa communia perditorum hominum, contemptum, odium, invidiam, dolum, rapinam, carcerem, exilium cogitabam. Talis hominis talem mortem nec cogitare didiceram, nec vereri: quippe qui nullis ex tragœdiis tam nefarias et tam truces insidias meminissem. Tulit ecce feracissima scelerum ætas nostra, quo glorietur antiquitas, quo se posteritas consoletur: utque omne ævum fiat excusabile, hoc in tempus summa sævitiæ

ac totius inhospitalitatis erupit. O brevi multum mutata Neapolis! O infelix Aversa! Vere aversa, nomen ex re sumptum; aversa, inquam, prorsus ab humanitate ac fide; quarum prima homini, secunda regi et iusto domino debebatur; in te utriusque spreta reverentia, utriusque in te sacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia periit rex tuus, ferro utinam aut virili morte alia, ut hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque unguibus laceratus videretur. O iniquo condita sidere, infausto signata vomere, cæmentis instructa sanguineis, et vipereis habitata cultoribus, magistra urbs crudelium exemplorum. Abunde impietatis et criminum erat animantum principis sacrosanctam effigiem ad imaginem Dei factam violare tam atrociter, tam superbe. Nunc id scelus non in homine quolibet ausa es; sed mitissimum innocentissimumque hominum et dominum tuum, et ante annos tui solicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ spei regem, truculentissime laniasti. Imo non tu, sed in te acres et immites, dicam homines an belluæ, an quod adventicii genus monstri? qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum suumque regem non gladio, non veneno, dura licet ac solita regum morte, sed velut incendiarium aut latronem infami laqueo peremerunt, et cuius vertici debitum ac speratum diadema diu perfida tergiversatione distulerant, eius collo restem et nodos miserabiles iniecerunt; ut exequiarum genere alio et vita longiore dignissimi corporis ludibria indigna prætercam, si nostro forte silentio posterorum notitiæ subtrahantur. Tu quidem, misera civitas, hæc perpessa tuis in penetralibus, quæ omnes terras, et

omnia sæcula tristi sint inquinatura memoria. Cæterum et culpæ expers, nisi quod patientia criminum sæpe consensui proxima est: etsi nec obstare poteras, nec ulcisci, miseratione potius digna, quam odio. At tu, Christe, sol iustitiæ, cuncta videns, et æternis radiis universa collustrans, utquid hanc infamiæ nebulam passus es terris nostris incumbere? Cum posses tam facile, nisi delicta hominum obstarent, vapores noxios odiorum, caliginosæ noctis algore concretos, fervido tui amoris splendore perrumpere? Tu autem, summe regum nostri temporis, Roberte, quem ex aliqua cœli parte res nostras et miserari crediderim et spectare, quibus hoc nefas luminibus aspexisti? Et hanc tantam tui sanguinis iniuriam quo animo pertulisti? An non poteras piis precibus impium scelus avertere? An poteras, sed nolebas? Subdifficilis coniectura. Etsi enim simillimum veri sit te cœlesti gaudio repletum terrenis doloribus non moveri; numquid tamen tuorum charitate atque ingenita pietate non tangeris? Utcumque est, felicem te, qui hunc diem in corpore habitans non vidisti. Quin, te superstite, nunquam tam flebilis illuxisset dies; nunquam tantum invidiæ licuisset. Fuit enim vere frons tua regia regni salus, conciliatrix animorum, iustitiæ altrix, expultrixque perfidiæ; ac velut quædam salubris umbra gregibus tuis, ut iucunda pastoribus, sic funesta serpentibus. Quod si humana virtus obstare decretis æthereis non valet, optanda utique et penitus opportuna mors fuit; quæ oculos tuos, quibus adhuc naturæ legibus horror et lacrimæ inerant, tam mœsto spectaculo liberaret. Proh dolor! Tuum illud eximium, carum, pium, dulce depositum,

quibus servandum colendumque commiseras, perdiderunt: non somno aut ignavia victi, sed flammanti odio, et invidia stimulati. O ultrix scelerum iustitia! Neque illi aut innocentia, aut sanguis, aut maiestas profuit. Non hominum quisquam, aut deorum, non, quæ efficacissima sperabatur, tui recordatio opem tulit. Voces illas monitusque novissimos pii patris et regis optimi, quibus moriens, quantum mortali consilio datum erat, in longum et familiæ tuæ prospexeras et regno, præruptæ desperatæque nequitiæ ventus tulit, atque omnis divini iuris contexit oblivio. Sed iam fletuum satis est: modo ne, ubi finem fingimus, initium sit. Cum enim, ut dicebam, et crebra et comitata veniant mala, cum rara et solitaria bona sint, ex hoc malo nescio quid malorum sequi video, quod, ne iterum certior quam velim mali nuntii vates sim, silentio premam. Meliora cuncta proveniant, quam spero, nec reipublicæ noceat paucorum furor, qui in illis quorum est, inultus, ut auguror, non erit. Etsi enim divina iustitia sæpe misericordiæ succumbat, in his tamen hoc accidit, quos peccati pudet ac pœnitet, non in his qui flagitio gloriantur. Hæc tibi quoque Sorgiæ ad fontem, quo rursus e tanto Italiæ naufragio, velut in portum, fugi, et præteriti dolens, et venturi trepidus dictabam, Kalendis sextilibus, intempesta nocte. Vale tui cautus, memor mei.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

In desperata malorum emendatione oleum et operam non esse perdenda.

Sine illum, linque eum sibi: ætatem habet, viæ patent: ire licet quocumque libet. Demitte in collum habenas homini indomito; frustra niteris. Repeto, linque illum sibi; eat quo fert animus. Crede autem mihi, non ascendet. Vidisti equos ad iter et ascensum pigros, ad pugnam pavidos, tamen impatientes socii frementesque? Degeneris animi signum est insultare minoribus, non posse comitem pati, nocendi, cum possit, occasionem expectare, non causam. Muscæ macros stimulant boves, pauperem peregrinum canis infestat. Homunculum nostrum his exemplis adscribito; ubi vel miserabilis orbitas, vel extrema paupertas, denique ubi defensionis est minus, ibi plus sævitiæ nocendique ferventior libido. Qua in re nihil deliberat, nisi, an facultas adsit; voluntas nunquam abest et semper una. Quid castigas igitur? Perdis operam. Plus aliquid quam verba requirit hoc malum. Da illi parem adversarium; confestim ardor iste tepuerit. Semper erit lupus, ove conspecta. Admove lupum, ovis erit. *Quid* igitur, ut ait Flaccus, *obseratis auribus fundis preces?* Quin tu sine illum sceleribus obrutum et oppressum suis, superbia tumidum, ardentem avaritia, iracundia rabidum, invidia tabescentem, libidinibus efferatum, gulæ ventrisque mancipium, nimio semper sopore confectum, et, ut ait Maro, *somno vinoque sepul-*

[redacted]

tum. Quid enim huic facias? Quid loquaris? Dolio loqueris, et quidem pleno, et nil penitus responsuro, nil intellecturo, nil etiam audituro. Perproprie in hunc dixisse Licinius Crassus videretur, modo barbam æneam haberet; cætera enim adsunt, os ferreum, cor plumbeum, utique callosas aures, callosumque animum habet. Callum mendaciis superductum vera verba non penetrant. Nescio an ex illis sis, quibus perdere verba leve est. Illud certe scio; quæ in homine verba perduntur, tolerabilis forte iactura; nisi contemptus hinc simul atque odium quærerentur. Vale.

Avinione, III Kal. Maias.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Loquacitatem ab eloquentia quam longissime differre.

Quod ad studium rei familiaris attinet, coacervandasque divitias, providentissimum hominem omniumque quos ego quidem noverim circumspectissimum non nego; quique non in vultu tantum, sed, ut Plautina anus, in occipitio quoque oculos habet. Cæterum in eo quod de eloquentia hominis addidisti, longe dissentio. Inter facundum enim ac loquacem largiter refert. Alterum qualitatis est, quantitatis alterum; hoc ingenium et ars et exercitatio modesta, illud præceps impetus et impudentia præstabunt. Contraria sunt hæc: plerique tamen in discernendo falluntur. Tu, illo loquente, si diligentius animum adverteris, fateberis, ut

nihil promptius, sic nihil illius sermone durius, nihil asperius, nihil intempestivius. Quod non ideo ut sibi, cuius nomen sciens silui, eloquentiæ falsam famam, sed ut tibi iudicii errorem eripiam, dictum scito. Vale.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Donum mittens amico magnanimi esse oblata respuere, ea tamen aliquando accepta habenda esse docet.

Quam pauper, quamve sis dives, nescio. Loquor de arcula : animus enim procul dubio dives est, Bianteo more sua secum bona circumferens, nec incendio peritura nec naufragio : et quibus nihil omnino, non prædonum vim, non furum metuit dolos, non rubiginem tineasque, non morbos, non mortem, non senium, non ruinam. De arcula sane ipsa idcirco sum dubius ; quia dum animum moresque tuos fortunamque simul æstimo, ut non multis, sic nonnullis egere te suspicor. Sicut enim insanorum est innumerabilibus indigere ; sic verum est quod ait Xenophon ille Socraticus : nihil egere est Deorum ; quam minime autem, proximum a Diis. Quamobrem quia de arcula ipsa nuper a conscio quodam nescio quid audivi, pro virili parte succurrendum statui. Ecce itaque de fortunæ meæ, si reliquiis dicam, superbius quam velim ; si muneribus, aliter loquar, ac sentio : dicam ergo, de muneribus, quibus illa me talia non curantem, supra spem, supraque vo-

tum cumulare dignata est, aliquantulum ad te misi; quod quantulumcumque est, haud dubito, dignanter accipies; et in exigua re, parvo velut in speculo, conspiciens magnum mittentis affectum, munusculi parvitatem animi voluntate pensabis. Non quod ego sim nescius, quosdam fortes, quosdam doctos ac simillimos tui viros, et utrosque magnanimos, frustra olim muneribus fuisse tentatos; in quibus ante alios est Fabricii clarum nomen, et Curii, Romanorum ducum: quorum alter Pyrrhi regis, alter aurum contempsisse Samniticum laudatur. Clarius uterque contemptus, sed nobilitatus alter etiam claritate responsi; quamvis enim scholastici quidam more suo confundant historias, responsum tamen illud nobile et famosum, *Romanos nolle aurum, sed aurum habentibus imperare*, non Fabricii, ut vulgus putat, ad regem, sed Curii est ad Samnitum legatos. Xenocrates legatos Alexandri Macedonis cum quinquaginta talentis ad eum ab ipso rege transmissos, invitatos ad cœnam in villam Academiæ, ac mediocri et minime apparato cibo philosophice habitos cum dimisisset, postridie reversos quærentesque cui numerari pecuniam regis vellet, sic increpuit: *Quid? vos*, inquit, *hesterna cœna non intellexistis, me pecunia non egere?* Quo responso cum mœstos factos cerneret, ne munus ac legationem regiam sprevisse diceretur, de magna pecunia exiguam particulam accepit, reliquum referri iussit ad regem. Fertur erga eumdem regem et Diogenis Cynici contemptus, ad quem versatili dolio habitantem cum Alexander videndi cupidus venisset, et miratus hominem quæsisset, an donari sibi a rege aliquid vellet: *Cætera*, inquit, *alias: nunc ut a sole te*

dimoveas peto. Erat enim hyems ; et forte tunc fundo testæ illius ad Aquilonem obverso, ore autem ad meridiem, apricabatur seminudus, sed fervens animi, seniculus. Facetum hoc. Durius et prope superbum Demetrii responsum, qui missum sibi ab Imperatore Romano aurum ridendo ita contempsit, ut diceret: *Si tentare me voluit, toto illi fueram experiendus imperio.* Calanus Indus, dum ingenti lignorum congerie extructa et incensa, more patrio, nudus ad voluntariam mortem iret; Alexandro Macedoni obvio et quærenti similiter num a se aliquid vellet, *Nihil,* inquit, *est opus ; brevi te videbo.* Sed hic quidem miri nihil : quid enim non spernat, qui ipsam, propter quam cætera concupiscimus, vitam sprevit? Contemptus sane miraculum supplevit vaticinii certa fides. Siquidem intra dies paucos Alexander apud Babylona cratere illo Persarum et Indorum ultore consumptus est. Urbanius aliquanto Dindymus, ad quem nudum cum Alexander idem, omni fastu regio deposito, venisset, in extrema solitudinum e cunctis muneribus ab opulentissimo rege sibi allatis, nonnisi minima et vilissima rerum sumpsit, ne contemptus asperior insolentiæ notaretur. Sed hæc singulorum hominum : illa publica animorum et incomparabilis altitudo ; Pyrrhi regis, cuius supra memini, legatus Cineas, vir ingenio et sapientia excellens, immensis cum muneribus Romam missus, senatu primum atque ordinibus cunctis ex ordine nequidquam tentatis, postremo plebem ipsam frustra etiam aggressus, ac nemine prorsus invento, cuius domus aut mens muneribus regiis pateret ; cum eo ipso quod avexerat auro, ad stupentem regem, stupens ipse, reversus est. Cæterum hi omnes aut ab

hoste rege vel populo, aut a superbo aliquo donatore tentati sunt. At non Romani senatus dona Ptolemæus rex Ægyptius, non Africani sui munus Masinissa contempsit; non Africanus alter munera regis amici, non denique populus ipse Romanus, munerum licet spretor hostium, Pergamei regis, quem amabat, hereditatem testamentumque despexit. Multum refert, quo animo quid donetur, et a quo: et sicut quidam longe magnificus, sic alter inhumanus atque insolens est contemptus. Amicus ego, non tentator, venio, nec, ut verum fatear, dono aliquid tibi; sed tecum partior quæ scis ipse iam pridem nobis esse communia. Ac ne munus exiguum magnis verbis exaggerem, accipe quidquid id est, et boni consule. Quod profecto ne idem ipse qui fert, nec alius quidem quisquam quid, aut quale sit novit; et ego iam, si quid mihi credis, oblitus sum. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA PHILIPPO EPISCOPO CAVALLICENSI S. P. D.

Accersitus ab eo promittit se crastino aditurum eum visum.

Veniam ad te, quando ita placere tibi sentio; et Socratem nostrum devotissimum tui nominis adducam. Postridie veniemus; nec horrebimus urbis aspectum, inculta quamvis et rusticana veste contecti. Huc enim pridie raptim ex urbe inquieta et turbida, saltu, velut in litus fracta puppi, confugimus, latitandi ociandique

proposito: eoque habitu qui et ruri et brumæ convenientissimus visus est. Ut sumus, in tuam urbem commigrare iubes: parebimus; eoque libentius, quo ardentiore tui desiderio trahimur; neque magnopere curabimus quales extrinsecus videamur, cui animos nostros apertos ac nudos esse et cupimus et speramus. Illud tuorum voto, pater amantissime, non negabis, si sæpe nos hospites habere vis, ut non apparatum exquisitumque convivium, sed mensa nos familiaris excipiat. Vale.

Ad fontem Sorgiæ, IIII Nonas Ianuarii.

[redacted]

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER SEPTIMUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA BARBATO SULMONENSI S. P. D.

Regni Neapolitani conditionem et calamitates post regis cædem ingruentes miseratus, inde pedem referre suadet amicum, eique hospitium liberaliter defert.

Inter multifidas, quibus obsideor, curas, illa non ultima est, quam ex rerum tuarum expectatione concipio. Quid enim mihi Barbato meo carius? Quid dulcius? Anxia res amor, credula, timida, solicita, omnia circumspiciens, et vana etiam ac secura formidans. Ecce quod semper timui; ecce quod semper scripsi; ecce quod quotidie dicebam; non poterat tam fœdum facinus impunitum esse: et est ultio hæc aliquanto serior quam putavi. Verte autem, Deus, iram tuam in auctores scelerum, et noxia capita digno supplicio feri; parce piis, parce fidelibus. Quid insons meruit plebecula? Quid sacra tellus Ausonia? Ecce iam pulvis italicus gressu quatitur barbarico; et victores olim gentium, nunc heu! vincentium præda sumus; sive id peccata nostra meruere, sive iniquum et triste sidus aliquod adverso numine nos exercet, sive (in quod magis inclinor) integri, nunc scelestis additi, criminibus

plectimur alienis. Sed absit ut Italiæ metuam, a qua rebelles potius quod metuant habebunt, dum nuper urbi reddita potestas tribunicia vigebit, et caput nostrum, Roma, non ægrotabit. Pars Italiæ solicitum habet: illa videlicet quæ olim Magna Græcia dicebatur : Brutius, Calaber, atque Apulus, nunc Laboris regio, atque olim præpotens Capua, nunc regina urbium Parthenope. In has terras amœnissimas ab asperrimis Danubii ripis præceps ruit exercitus; et cœli nostri serenitatem fœdis nubibus involvit ab Aquilone oriens procella; quæ vereor ne, dum responsum tuum opperior, cum ingenti fragore detonuerit. Sic omnia iam in extremum adducta referuntur. Iam Sulmonem, primo belli impetu calcatum, in ditionem hostium pervenisse, fama est. Heu generosum oppidum, tuam et Nasonis patriam, quibus prosequar lamentis ab his hodie possessam, inter quos ille morte gravius putavit exilium? Qui autem adeo miserabiliter non tam de exilio, quam de loco exilii questus est, ut librum non exiguum texeret querelarum, quid dicturus fuisset, si Istri populos, et id genus hominum qui, qua vagus Sarmata et arcitenens Getes, nivosis oberrant collibus, ad occupandam armis patriam suam venturos ullo tempore prævidisset: ad quos se Cæsaris imperio proficisci tam iniquo tulit animo, ut nihil aliud flere, nihil aliud deprecari, nihil aliud loqui posset? Te vero, frater, quid nunc dicere arbitrer ista cernentem, quæ nec ego præsentia sine lacrimis audio, nec ille futura sine gemitu cogitasset? O feliciora iam saltem Nasonis ossa externa tellure obruta, quam si patriæ pyramidis honore condita, huius temporis ludibrio servarentur. Iam tranquilliora dixerim sepulchra inter

[redacted]

Istrum et Hypanem, quam inter Lirim et Vulturnum. Illinc Barbari magno agmine diffugiunt; huc irrumpunt. At ego, dum dolorem animi sequor, propositum excessi, et evehebar longius, nisi me expectans et crebro interpellans hic nuntius revocasset. Igitur unde discesseram revertor. Magno super te pavore torqueor; sed nihil in me (quod ipse noverim) consilii est, nihil auxilii: quia tamen plus interdum aliqui possunt, quam se posse confidunt, si quid in me opis agnoveris, iure tuo utere. Gratiam, fateor, non mediocrem apud Tribunum stirpe humili, sed excelso virum animo propositoque, et apud Populum Romanum habeo, nullis profecto meis meritis: sed Deus mihi malorum odia, bonorum benevolentia compensavit: non quod vel illis nocuerim, vel his profuerim; vel malus esse desierim, vel sim bonus: sed quia malos odisse, bonos amare disposui; et ab illorum turba ad horum paucitatem sæpe transfugere volui si datum esset, et volo si dabitur. Si quid igitur in præsenti discrimine apud præfatos Tribunum ac populum prodesse tibi intercessio mea potest; ecce, animus et calamus præsto sunt. Est mihi præterea in longinquo, et ab his motibus securo Italiæ tractu domus parva quidem; sed duobus unum animum habentibus nulla domus angusta est. Nullæ illam damnosæ divitiæ, nec paupertas, nec cupiditas, libelli autem innumerabiles inhabitant. Hæc modo nos expectat, me ab occidente reversurum, quem iam biennio abfuisse conqueritur; te ab oriente, si fata coegerint, et si libuerit, venturum. Quid tibi præter hæc offeram, non habeo. Domus autem, ad quam invito te, ubi sit, nosti; in loco salubri et terroribus vacuo et pleno gaudiis, et studiis

opportuno. Tu quidquid consilii ceperis, ad felicem exitum Deus applicet. Ego interim utinam falsa timuerim, et absentia, quod naturaliter solet, metum auxerit amantis. Animus quidem meus non quiescet, donec vel te videro, vel per litteras accepero, salvum ex tempestatibus enatasse. Vale.

III Idus Septembris.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

De status humilitate deque admiranda Chistianæ fidei propagatione.

Noli, obsecro, amicum ideo spernere, quia humilis; ne contrarius fias dicto irrefragabili, quo humilitas exaltanda promittitur. Vera quidem humilitate nil minus contemptibile, nil minus vera superbia venerandum. In discretione tamen huius rei, et aliarum quoque multarum, fallimur. Viles enim timidosque et abiectos humiles vocamus, magnanimos autem superbos. Contra autem veros humiles falso credita pusillanimitate contemnimus: insolentes vero ceu vere magnanimos veneramur. Scitumque est illud Catonis iunioris a Sallustio relatum: *Vera rerum vocabula iam pridem amisimus.* Si igitur constat de re, amicumque tibi, ut est, humilem fateris, vide, quæso, ne humilitatem, altissimam virtutem Christoque gratissimam, despexeris, ne, quod nunquam fuisti, importune et odiose superbus videaris. Quis enim vel mediocris ingenii, qui utrarumque, sacrarum scilicet ac sæcularium scripturarum seriem legerit, non adver-

[redacted]

tat quantum magister humilitatis Christus humilia semper amaverit? Ut equidem a primo ordiar, ex quam humili radice nasci voluit ille cuius faciem videre summa et sola felicitas est? An non ex nobilissima qualibet nasci posset, vel nobilitare quam vellet? Sed, nobilitate contempta, humilitas quærebatur. *Egressa est virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendit*, cuius sub umbra reges sedent, populi requiescunt; cuius orbis totus odore reficitur. Quænam vero radix ista Iesse? Quam superba, quam nobilis? Cui Ruth materna avia, mulier advena, inops, vidua, orba, socrum extra fines patrios secuta, et post pueros messores in agrum Bohom ad legendum spicas primum misericorditer admissa, deinde et nocturnis quoque blanditiis in ipsius domini promota coniugium; unde Iesse pater prodiit, per se ipsum obscuri vir nominis. Ipsum quoque Iesse quis nosset, nisi propter eius filium David? Imo quis quemquam nosset eorum, nisi propter Christum, ex illorum radice surgentem? Quorum originem quantum spernere, quantoque cum stomacho, et filium Isai et servum suum dicere solebat ipse Saul compatriota superbior, novissima licet familia editus minimæ tribus Israel, quisquis regum libros legerit, inveniet. Ipse David, quamvis eximiæ virtutis atque excellentis ingenii, tamen adolescentulus pastor erat, quando est electus a Domino, et sublatus *de gregibus ovium*, ut ipse fatetur, et *de postfœtantes* acceptus in regem, pavit Israel innocentia cordis sui. An Moyses forte nobilior, quando visionem illam vidit rubi ardentis et incombusti, quando tot prodigiorum signis illustratus ad liberandum populum Israeliticum servitute Ægyptiaca, Deo iubente, pro-

fectus est? Certe non rex, aut princeps, qui tanto operi eligeretur; sed humilis pastor fuit, et (quod magis stupeas) alieni gregis. Iam ipse pater Abraham filiusque et nepos, quorum nominibus omnis sacræ paginæ plenus est angulus, quorum tanta est gloria, ut omnipotens ab illis cognomen accipere, et Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob dici voluerit, atque ipse de se loquens eodem ipso cognomine usus sit; putas, reges aut tetrarchæ essent? Imo vel agricultores, vel pastores ovium fuerunt. Asellis vilibus insidentes, stipati gregibus suis, inter filios et uxores, sedes mutabant; sed in hac humilitate Deum merebantur ducem, qui eo ipso tempore potentissimis ac superbissimis Assyriorum regibus non modo familiaris esse, sed ne nosci quidem velle dignatus est. Ipse Iacob, a quo in scripturis sacris crebrius illud insigne cognomen ac familiarius Deo est, non superbia originis, sed humilitate sua clarus, qualiter ab illo soceri suo diuturno et gravi servitio redeat, attende. Certe non sceptrum revehit, non diadema, non purpuram, non currus aureos, non armatos exercitus: sed ovium et caprarum boumque aciem instructam, clam fugiens filiorum turbam ac servorum, et simul duas ducit uxores, ac totidem concubinas, semen gentis innumeræ, quarum ex utero duodecim tribus Israel, et tanta populorum multitudo, Deo fecundante mulierculas, et humilitatem honorante, descenderet. Fiebant illis in figura, quæ superficie tenus contemptibilia viderentur; essent autem in ipsa rerum veritate magnifica. Si enim non aliter accepta fuerint, quam narrentur, quis non audita despiciat? Quod si gloria temporalis coram Deo clarior foret quam humilitas, quis dubitet quam in

partem iste tantus Dei favor multo propensior futurus esset? Confer enim cum his tribus senibus tam famosis, cumque omnibus illorum gregibus atque coniugibus, tres immensis exercitibus subnixos Romanorum duces; Scipionem Africanum Hannibalis cornua confringentem, et tributario iugo imperiosæ Carthaginis colla subdentem; Magnum Pompeium in septentrione atque Asia tonantem, et non lacte sed auro repleta patria, captisque non ovium sed regum gregibus, a mari rubro ad Mæotidas paludes Rhiphæosque montes universa calcantem; Iulium Cæsarem in Galliis atque Germania fulminantem, perdomitisque hostibus, ad postremum in viscera patriæ victricia pila vertentem, ipsamque tum gentibus imperantem Romam, et in ea terrarum orbem unico Thessalico prælio vincentem. Quanta quidem hæc sit imparitas rerum vides. Poterat nasciturus ex homine Dei Filius, vel ex his nasci, vel eos ipsos e quibus nasci decreverat, tales facere. Quippe qui utrosque creaverat, poterat non David in angustis Iudææ finibus, sed Augustum in toto orbe regnantem habere stirpis auctorem; vel David ipsum tantum principem facere quantum fecit Augustum. Poterat non in Bethleem vico exiguo, sed Romæ, cui Iudæa inter cæteras serviebat, et in thalamo aureo nasci, non in stabulo. Poterat natus, cui cœlum sedes est, *cuius et terra et plenitudo eius*, non in summa paupertie, sed in summis deliciis enutriri; nisi quod nobilitatem et delicias nostras spernit. Utinam et non oderit! Postremo poterat, qui ei succederent suumque nomen gentibus prædicarent, discipulos sibi litteratos, ac potentes reges, oratoresque et philosophos; non piscatores, rusticos, inopes et indoctos eli-

gere, nisi quod ipse Deus est; qui *superbis resistit*, *humilibus autem dat gratiam;* nec potentia nostra egens ad agendum, quoniam *ipse dixit et facta sunt;* neque ad persuadendum, eloquentia mortali. Vivus est enim Dei sermo, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum; et discretor cogitationum et intentionum cordis. Hoc sermone discipulos suos armaverat, quando eos ad persuadendum generi humano toto dispersit orbe terrarum, non consulari trabea, non imperiali diademate, non laurea triumphali, non philosophorum sententiis, non oratorum floribus, non aculeis sophistarum, non denique verbi sapientia (ut ait Apostolus), *ne evacuaretur crux Christi.* Non inter eos Cæsar fuit qui cogeret, non Plato qui doceret, non Aristoteles qui argueret, non Cicero qui suaderet: sed homunculi, pauperes, imbecilles, et inculti; qui nunquam aut scholas intrassent, aut litteras didicissent. Ii tamen inter persequentium gladios et ferarum dentes flammasque ac tortores persuaserunt publice quod volebant: Christum Deum et hominem natum, passum, descendisse ad inferos, surrexisse a mortuis, ascendisse in cœlum, rediturum ad iudicium; et cætera omnia quæ ille mandaverat, qui (ut scriptum est) *stulta mundi elegit et infirma, ut confunderet fortia;* qui cum prodesse omnibus venisset, *elegit*, ut ait Augustinus, *prodesse imperatori de piscatore, non piscatori de imperatore;* quod similiter prorsus de oratore ac philosopho dici potest. Idque non ætate rudi accidit, et ad credendum facili; sed longe magis *inveteratis litteris atque doctrinis, omnique illo antiquo ex*

inculta hominum vita errore sublato; longeque magis *iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis*, quam ætate Romuli fuerant. De cuius divinitate credita Cicero loquens ait hæc in sua *Republica*, et Augustinus retulit in sua, ut *ad fingendum, si tunc vix quidquam* (ut idem ait), nunc omnino minus esset loci. *Antiquitas enim*, inquit, *recepit fabulas, fictas etiam nonnunquam incondite. Hæc ætas iam exculta, præsertim eludens, omne quod fieri non potest, respuit.* Quæ si, ut dixi, ad colorandam falsam Romuli divinitatem, quæ credi iam cultiore ætate potuerit, Cicero velut non parva argumenta conquirit, Roma vix dum condita et unum e septem collibus vix integrum, eumque non tectis muroque marmoreo, sed dumoso ambitu et culmis agrestibus occupante, atque adhuc nescio quid pastorium redolente; quid de ætate Christi dici debet, Roma dante iam iura gentibus, imperantibus Augusto Tiberioque; quorum sub altero natus, sub altero Christus est passus? Inter quod tempus et Romuli ætatem, incredibilior, quam pro numero annorum, rerum mutatio facta erat; non quod medium tempus exiguum sit, siquidem ex quo, propter suam insolentiam, a Senatu Romano ad Capreæ paludem discerptus est Romulus, usque dum, propter peccata nostra, a Iudæis in monte Calvario crucifixus est Christus, paulo, nisi fallor, plus minusve septingentorum annorum tempus effluxit. Quamvis enim Cicero minus sexcentis dixerit, non ad suam ibi, sed ad Africani et cæterorum respexit ætatem, quos in eo ipso libro *Reipublicæ* loqui facit. Et præterea inter Ciceronis cædem sub Antonio, et Christi passionem sub Pilato, quantum

verisimilibus coniecturis assequor, septuaginta vel circiter annorum spatium intercessit. Longius ferebar; sed nuntius tuus scribenti imminet, et singulos calami tractus notat, morulasque medias metitur, et crebro ostium cœlumque respiciens suspirat. Misereor, expertus quid est expectatio properanti animo; et ante destinatum cogor ut dicam: humilitatem ama. Vale.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

De thesauro quem se invenisse per somnium sibi visus est, et de divitiarum periculo et molestiis.

Hesternæ noctis somnium referam tibi. Videbar mihi, incertum unde, nihil enim tale vel cogitare sum solitus vel loqui, videbar, inquam, in agello meo, quem ad fontem Sorgiæ habeo, thesaurum invenisse, monetæ pervetustæ aureæ non mediocrem cumulum. Una spatiabamur soli, ut noster est mos. Te itaque confestim evocans, digito rem designo: ambos, ut fit, gaudium stuporque defixerat. Mihi quidem ut eram, memini enim, occurrebat illud Annæi: « *Vitate quæcumque vulgo placent, quæ tribuit casus; ad omne fortuitum bonum suspiciosi et pavidi subsistite; et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunæ quæ putatis, insidiæ sunt.* » De hoc ergo consultantes, parumper hæsitavimus, læti trepidique. Quid multa? Ultimæ insaniæ visum est, quod per terras ac maria

tantis laboribus tantisque periculis quæri solet, id oblatum ultro contemnere. Mox certatim oneramur auro, domum clam taciti convehimus, abditis pro tempore quæ exportari uno fasce non poterant. Hoc semel, hoc iterum et iterum facimus, et semper avidius : semper enim, ut natura rerum habet, cum pecunia solicitudo cupiditasque crescebat. Ferit aures interim murmur invisum ; secretum nostrum, nulli licet creditum, sponte sua in vulgus eruperat. Nec ita multo post nescio quis maior dominus locorum aderat, vindicans sibi iure thesaurum. Obnitimur. Hinc primum longa et inamœna colloquia, inde lis minæque ; et semper litibus iuncta convicia, illo acriter urgente, nobis indignantibus in nostro reperta nobis eripi propitiæ dona fortunæ. Mille subinde rerum motus, et mille consilia, nunc matura et cauta, nunc temeraria et acerba ; cum iam ad resistendum nos non tam nostra cupiditas, quam inexorabilis adversarii superba durities inflammaret. Iam ab ocio ruris ad urbana negotia ; iam a studiis ad arma translati, novis curarum turbinibus agebamur. Iam pro intentione pervigili et inquisitione pulcherrima novarum rerum, pernox odium atque ira successerant. Postremo iam res a litigio ad bellum se verterat. Ita mutatus animorum status, et sæpe reperti auri pœnitebat. Philosophabamur in insomniis : ubi vitam serenam atque tranquillam liquimus ? Quis nobis has curarum superinduxit nubes? Quis in has procellas nos impegit? An ignorabamus in auro speciosam ærumnam, et splendidam esse miseriam? Necessitas cum divitiis crescit, et fugit cum mediocritate felicitas. Occurrebant acervatim exempla eorum, qui, vel in di-

vitiis infelices, vel in paupertate felicissimi fuissent. Spernebantur inutiles opes Crœsi, et funestum Midæ aurum, et Dionysii Crassique spolia templis avulsa. Laudabatur Cincinnati, Reguli, Curii, Fabricii felix et gloriosa pauperies. Accedebat acies hominum nostrorum, qui nudi in solitudine, solibusque et frigoribus adusti, radicibus herbarum et silvestribus baccis pasti, pro tecto cœlum, terram habentes pro cubiculo, cum voluptate torrentem turbidum hauserunt, asperoque et angusto calle gradientes, spe patriæ melioris omnia prorsus mortalia comtempserunt. Cæterum, quo plura huius generis ingerebantur exempla, eo gravius dolebamus, ea non vidisse nos in tempore, sed in tergo (ut aiunt) oculos habuisse. Denique sic eramus, ut iam, ne cœpto vellemus absistere, solus cedendi pudor obsisteret. Et iam supremi certaminis instabat alea; cum repente medio noctis, ira metuque anxius expergiscor. Gelidus sudor corpus omne perfuderat. Ita me Divinitas salvum velit, ut ego perinde fessus animi, fessusque membrorum eram, ac si grave durumque negotium, non somnians, sed vigilans, agitassem. Nec facile dici potest quam lætus fui, ubi sensi me thesauro simul et solicitudine liberatum, et tantum habere quantum alit, non quantum angit; quantumque vitæ sufficit, non quantum affluit: quamque per somnum in ea sententia radicatus sum, quam mihi vigilans persuadeo esse verissimam, scilicet, plus mali quam boni cupidis mortalibus afferre divitias. Surrexi demum hora solita (consuetudinem meam nosti); dumque, quotidianis laudibus Deo dictis, ex more manum calamo applicuissem; hoc primum, quod sopitum exer-

cuerat sese obtulit experrecto: huius ergo sententiæ te participem facio, qui particeps somnii videberis. Vale.

XIX Kal. Februarias ad auroram.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI EP. TRICASTRINO S. P. D.

Ordinandis Ciceronis operibus annuit, et proximum sui reditum in Italiam nunciat.

Petitionis tuæ memor, promissique mei non oblitus, Italiam, sive (ne grammatica lite implicer, quam in epistolis Ciceroni suo movet Atticus) in Italiam vado. Scio quidem et memini quid me de ipsius Ciceronis libris in ordine redigendis, et quarumdam, ut dicere soles, veluti scintillarum lumine declarandis, sæpe rogaveras: demum, quo ineluctabiles preces essent, ut Romanus Pontifex, qui fervoris tui conscius hanc generosam bibliothecæ suæ custodiam ita tibi credidit, ut olim nostri principes Iulius Cæsar Marco Varroni, Cæsar Augustus Pompeio Macro, et rex Ægyptius Ptolemæus Philadelphus Demetrio Phalereo commisisse noscuntur, curam prorsus ingenio tuo dignam, ut Romanus, inquam, Pontifex digredienti mihi suum hac in re modestissime indicaret animum, effecisti. Quid facerem? Notum licet ignoti poetæ carmen:

Est orare ducum species violenta iubendi;
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Parebo si potero. Nam et sibi parere necessarium, et

[redacted]

tibi placere delectabile; contraque, preces tuas spernere, durum, illius iussa negligere, sacrilegum. Totum in hoc vertitur, quam mihi in illis quos poscitis emendatis codicibus reperiendis fortuna faverit. Nosti enim expertus sæculi nostri crimen, quanta sit rerum talium penuria; cum tamen inutiles et supervacuæ, imo vero penitus damnosæ funestæque divitiæ tantis curis ac laboribus aggregentur. Quod in me erit, studium indefessum ac diligentiam adhibebo. Ac ne moram fortassis accuses, scito me reparandis viribus corporeis, quas morbus imminuit, in solitudine mea ad fontem Sorgiæ usque ad autumni temperiem subsedisse, metuentem corpus adhuc invalidum longæ viæ committere. Tunc, auctis, volente Deo, viribus, atque æstibus imminutis, iter arripiam. Interea utinam scire posses quanta cum voluptate solivagus ac liber inter montes et nemora, inter fontes et flumina, inter libros et maximorum hominum ingenia respiro, quamque me in ea quæ ante sunt cum Apostolo extendens, et præterita oblivisci nitar, et præsentia non videre. Vale.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA LÆLIO SUO S. P. D.

Se Italiam versus iter facientem quid Nicolaus Laurentii in Urbe gesserit, non sine magna animi mœstitia, audivisse.

Multa scribere tempus dehortatur, somnus prohibet. Noctem iam tertiam insomnem ago; neque veteribus curis liber, et oppressus novis; quas mihi pro-

fectio mea peperit, multa in faciem et in tergum curanda denuntians. Cum ex æquo despicere omnia in animum induxero (quod magna ex parte iam feci), tum primum tranquillos somnos carpere incipiam, non aliter quam Æneas ille Virgilianus, qui

iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.

Aut enim fallor, aut anceps et longa deliberatio plena molestiæ ac laboris est. Dubitandi exitus initium est quietis. Dici nequit anxia mens et consultationibus vagis exercita, quantum electione consilii in unum aliquod versa propositum conquiescat. Tunc igitur, ut occurret, nunc semisopitus et velut insomnis loquar. Excusationem tuam, quamvis supervacuam, amplector; scio enim locorum distantiam ut amantibus odiosam, sic honestis amicitiis non obesse. Ubicumque ergo erimus, simul erimus. De negotio tuo faciam ut scribis: quod mihi scilicet fieri vellem, breviter expediam; nihil enim in me molestius experior quam verbis trahi; hanc amicis sciens molestiam nunquam feci, nec faciam quidem. Placebo si potero: alioquin ne displiceam providebo. Versus tuos, excitato apud Heliconа nostrum ingenio, texere meditabor; sed, nescio qualiter, cedula tua, quam decies in manibus habui, discedentem me fefellit, et sine me domi substitit. Quære eam ibi, et post me mitte, licet et sine illa scire videar quid dicturus sum: modo frondosi nemoris uspiam diverticulum occurrat. Tribuniciæ litteræ copiam, quam mihi misisti, vidi, legi, stupui. Quid respondeam non habeo. Fatum patriæ agnosco; et quo-

cumque me verto, dolendi causas materiamque reperio. Roma enim lacerata, qualis Italiæ status? Italia deformata, qualis mea vita futura est? In hoc publico et privato mœrore, alii opes, vires alii corporeas, alii potentiam, alii consilium conferent. Ego quid conferre possim, præter lacrimas, non video. Vale.

X Kal. Decembris. Ex itinere.

EPISTOLA VI.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

Mediocritate status sui contentum nec divitias se ambire, nec honores.

Summæ quidem rerum mearum, quas spectatæ fidei tuæ credidi, nihil detraho, nihil adiicio. Non tantum firmus, sed fixus etiam in proposito meo sum; cuius si meministi, supervacuum est quidquid de hac re ulterius loquar. Ut tamen me mei non immemorem scias, breviter sic habe. Magnæ fortunæ appetens nunquam fui, sive id modesti, sive pusilli, sive (quod quibusdam magnis viris placet) magni animi est. Vera quidem et vulgo etiam nota commemoro; et quorum te in primis testem habeo, et interdum laudatorem, interdum vero pro qualitate temporum amicissimum reprehensorem: quod scilicet, ut verbis tuis utar, cœpto nimis insisterem, et videndum esset, ne unde famam summæ constantiæ quærerem, inde pertinaciæ nomen infamiamque consequerer. Me tamen consilii

mei hactenus non pœnitet. Omnis enim mihi altitudo suspecta est, et præcipitii admonet omnis ascensus: multoque facilius, natura duce, in illorum consortium declinarem, qui, ut ait Poeta, *habitant vallibus imis*, quam eorum qui, ut idem ait, *posuere in montibus urbem*. Quæ cum ita sint, si optata mihi mediocritas, quam iure Flaccus auream vocat, ut pridem promittebatur, obvenerit; est quod grata intentione suscipiam, et perliberaliter mecum agi dicam. Sin invisum illud et grave maioris officii onus imponitur, renuo, excutio. Pauper esse malim, quam solicitus, quamvis, ut res eunt, et ut est animus, pauper esse non possim. Hæc et his similia, quæcumque inter nos in hanc sententiam dici solent, tu, qui nosti optime, et amicis et dominis et dominorum Domino nota fac, obsecro, cum tempus videbitur, quamvis a me ipso nec occultata nec tacita. Sed sunt quidam, quibus ut in animum penetret, sæpe veritas inculcanda est. Quod eo nunc minus mirer quo quidquid de me modo dicturus es, videri scio et ab ætatis nostræ moribus, et ab ipsa vulgi opinione remotius; cum quo mihi, ut in multis, sic præcipue in eo quod nunc agitur, discordia multa est. Sed incredibilitatem audientium vigor animi et facundia loquentis excutiet. Multum Socrati meo de re qualibet, sed multo plus auctoritatis ac fidei fuerit amico de secretis amici consiliis disserenti. Multa quoque de amici ore, quam de proprio, favorabilius audiuntur. Illud in finem ne dissimules, ne quis forte de nostra simplicitate sibi placeat. Non est vera liberalitas, dura; non lenta, non difficilis: nihil respicit, nisi quem complexa est. Illi morigera est: non iubet illa, sed obsequitur, et implet

vota, non limitat. Scimus ergo, quia petenti modicum immensa porrigere species est negandi. Vale.

VII Kal. Decembris. Ex itinere.

EPISTOLA VII.

FRANCISCUS PETRARCA NICOLAO LAURENTII TRIBUNO POPULI ROMANI S. P. D.

Quod contra spem bonorum omnium susceptam rempublicam male administret graviter obiurgat.

Fecisti, fateor, ut sæpe per hoc tempus illud apud Ciceronem loquentis Africani dictum multa cum voluptate repeterem: *Quis est hic qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?* Quid enim in tanta claritate tui nominis, ad tam lætos et tam crebros rerum tuarum nuntios, convenientius diceretur? Idque quam cupide fecerim, inscriptus tibi exhortationum mearum liber indicat, stimulis meis ac laudibus tuis plenus. Noli, quæso, committere ut dicam, quis est hic qui vulnerat aures meas tantus et tam tristis fragor? Cave, obsecro, speciosissimam famæ tuæ frontem propriis manibus deformare. Nulli fas hominum est, nisi tibi uni, rerum tuarum fundamenta convellere; tu potes evertere qui fundasti. Solet architectus esse optimus propriorum operum demolitor. Nosti quibus tramitibus ad gloriam ascendisti: versis retro vestigiis, inde descenditur, et natura facilior est descensus. Latissime enim patet, neque solum apud inferos locum habet, quod a poeta dicitur: *facilis descensus Averni.* Tantum ab illorum desperata miseria præsentis vitæ varietate

differimus, quod quamdiu hic sumus, cadimus quidem et resurgimus, descendimus et ascendimus; inde autem nullus est reditus. Quid vero dementius, quam, cum stare possis, cadere fiducia reassurgendi? Semper ex alto periculosior casus est. Et quid, oro te, virtute altius ac gloria, quarum in vertice conscenderas nostris temporibus inaccesso? Tamque impigre, et tam insueto calle ad summa perveneras, ut haud sciam usquam formidolosior cui sit ruina. Pedem figere oportet, obnixius ut consistas, neque spectaculum præbeas ridendum hostibus, lugendum tuis. Non quæritur gratis clarum nomen, nec servatur quidem :

Magnus enim labor est magnæ custodia famæ.

Permitte mihi meo versiculo tecum uti, qui adeo mihi placuit, ut eum ex quotidianis epistolis non puduerit ad Africam transferre; et hanc mihi quoque durissimam necessitatem exime, ne lyricus apparatus tuarum laudum, in quo, teste quidem hoc calamo, multus eram, desinere cogatur in satyram. Neu me casu in hanc narrationem incidisse, aut de nihilo locutum putes. E curia digressum amicorum litteræ consecutæ sunt, in quibus ad me rerum tuarum discolor, et primæ multum dissimilis, fama pervenit : non te populum, ut solebas, sed partem populi pessimam amare, illi obsequi, illam curare, illam admirari. Quid dicam, nisi quod Ciceroni scribens Brutus : *pudet conditionis ac fortunæ?* Mundus ergo te videbit, de bonorum duce, satellitem reproborum? Sic nobis subito turbata sunt sidera? Sic infensa divinitas? Ubi nunc ille tuus salutaris Genius, ubi (ut usitatius loquar) ille bonorum

operum consultor Spiritus, cum quo assidue colloqui putabaris? Neque enim aliter talia fieri posse per hominem videbantur. Quid autem torqueor? Ibunt res qua sempiterna lex statuit: mutare ista non possum, fugere possum. Itaque non parum mihi negocii remisisti. Ad te animo properabam. Flecto iter; certe te alterum non videbo. Tu quoque longum vale, Roma, si hæc vera sunt. Indos ego potius aut Garamantas petam. Suntne autem vera hæc? O multum principio dissimilem finem! Et o nimium delicatas aures meas! Assueverant magnificis rumoribus; pati ista non possunt. Sed et possunt falsa esse quæ loquor. Et falsa sint utinam! Nunquam libentius erraverim. Magna quidem apud me est scribentis auctoritas; sed cognitæ mihi multis indiciis, generosæ dicam, an animosæ, cuiusdam invidiæ non parva suspicio. Igitur etsi plura loqui dolor imperet, frenabo tamen impetum: quod profecto non possem, nisi quia solicitudinem meam incredulitate consolor. Secundet hæc Deus et lætiora faciat, quam narrantur: potiusque me amicorum alter mendacio, quam impietate alter flagitioque læserit. Siquidem consuetudine pessima effectum est ut mendacium iam quotidianum et vulgare peccatum sit. Proditorem patriæ nullius ævi licentia, nulla consuetudo, nulla libertas criminum excusat. Potius ergo ille mentiendo paucos mihi mœstos dies, quam tu patriam deserendo mœstam omnem vitam feceris. Ille, si quid verbo deliquerit, verbo purgabitur. Tuum si, quod fictum cupio, verum scelus est, quibus unquam piaculis abolendum speres? Immortale decus est, immortalis infamia. Quamobrem si, quod opinari nequeo, tuam fortasse negli-

gis, at saltem famæ meæ consule. Scis quanta mihi impendeat procella, quanta, si labi cæperis, in caput meum reprehensorum turba conspiret. Proinde *dum tempus est* (ut Terentianus loquitur adolescens), *etiam atque etiam cogita.* Circumspice, oro, summo studio quid agas; excute acriter te ipsum; examina tecum, nec te fallas, qui sis, qui fueris, unde, quo veneris, quorsum, inoffensa libertate, progredi fas sit: quam personam indueris, quod nomen assumpseris, quam spem tui feceris, quid professus fueris. Videbis te non dominum Reipublicæ, sed ministrum. Vale.

Ianuæ, III Kal. Decembris.

EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ARETINO S. P. D.

Gratulatur de bono eventu.

Omnia optato proveniunt, amice. Gratulor ergo liberatæ patriæ, principum nostrorum gloriæ, tranquillitati civium, religionis augmento, publicæ lætitiæ, singulariter honori tuo, cuius manibus turbidæ hactenus et tenebrosæ urbi blanda serenitas et pax prædulcis invehitur. Votivo quoque successui familiarium rerum tuarum gratulor. Perrarum est ut læta cumulate accidant, quin fortunæ dulcia semper immixtus aliquis amaror inficiat. At si quando plene propitia esse vult, ex amaritudine rerum ipsa dulcedinem insperatam miris modis novit elicere. Sæpe igitur dura molliens et inflectens, quæ tristia videbantur, vertit in gau-

dium. Utendum fortunæ muneribus, non fidendum. Certe hoc nunc artificio usa est. Itaque, quid vis dicam? Non tantum votivis eventibus, sed casibus ipsis nostris atque difficultatibus gratulari incipio: uni scilicet motiunculæ illi tui corporis, qua ingens atque animi multiplex lætitia temperata est; et viarum mearum impedimentis multis ac variis, quibus effectum spero, ut ambo simul in patriam revertamur. Vale.

EPISTOLA IX.

FRANCISCUS PETRARCA AD IGNOTUM.

Cui satis nequeas facere, operam impendere stultum esse.

Agreste proverbium, *lectum cani sternere magnus labor*. Dicti ratio si quæritur; quia scilicet accubiturus, huc atque huc in gyrum vertitur, ut nescias ubi pulvinar colloces. Ludicra quidem cogitatio illius, cui primum hoc dicere in animum venit: et tamen sic est. Idemque de multis hominibus dici potest, quod de cane dictum rides. Multi enim sunt, quibus nihil rite fiat: ita crebro volvuntur, ut quam in partem sint casuri, aut quid velint, sciri nequeat. Cum illis placuisse credas, nihil egeris. Omnis labor, omne periit obsequium. Si urbanas illis offeras delicias, ruris frugalitatem laudent; si ex urbe deduxeris, frequentiam quærant, solitudinem execrentur; si colloqui cœperis, fastidiant; indignenturque, si taceas; absentes desiderent, præsentes despiciant, amicos; sæpe etiam ode-

[redacted]

rint. A talibus semper abesse consultius. Intelligis quid velim, et frustra erit quidquid amplius dixero. Dico tamen, ne qua dissimulationis occasio tuæ mansuetudini meo silentio præbeatur. Ut quid operam perdis generosæ animæ? Longe tibi imparem atque dissimilem nactus, pedem retrahe ab incepto laborioso et inefficaci: reconciliare illum tibi nequidquam niteris. Invito amicus esse non potes: formidabilis inimicus potes esse. Quem nunc ille contemnit, timere incipiet, si aperte incipias irasci; sentietque quisnam esset quem gratis ingrato animo lacessendum duxerit. Medicorum morem in hoc ægro et infecto homine sequere: oro te, experire contraria. Mansuetudine irrita, efficax forte severitas fuerit, odiumque potentius amore. Quem blandientem spernit, horrebit ex professo inimicitias exercentem. Moribus adversum meis, sed consentaneum rebus consilium dedi. Quid enim illi facias qui amorem vocet insidias, humanitatem putet esse formidinem? Vale.

EPISTOLA X.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ANCHISÆO S. P. D.

Cur in Galliam Cisalpinam potius quam Florentiam se contulerit.

Litteræ tuæ plenæ gratissimis atque dulcissimis reprehensionibus invenerunt me circa Padi ripam, IX kalendas aprilis ad vesperam. Confer adventus diem cum illarum missione, et vide si eo temporis

spatio venire debuissent ex Ægypto. Venerunt cum eis et amicorum litteræ, et duorum facie mihi non notorum, sed utique illustrium, ut dicis, iuvenum, ut scripta testantur, senum : quales utinam multos haberet civitas vestra, si tamen non esset in exilium missura, imo etiam si missura, quorum dispersio reliquas saltem civitates italicas adornaret. Sed omitto hanc inexhaustam semper et veterem querelam, et revertor ad litteras. Omnium fere una sententia est. Arguor, post propositum veniendi Florentiam, iter in Cisalpinam Galliam deflexisse, quasi natalis patriæ contemptor, et spes ac vota multorum me illic expectantium elusisse. Possem ad hæc multifariam respondere, et quid aliorum responsurus sim litteris, necdum scio. Respondebo tamen aliquid, licet occupatissimus. Rogas enim ; sequar impetum : dum calamus erit in manibus, ille mihi, quo se duci velit, ostendet. Certe cum illis, ut stilo scribentium satisfiat, musarum mihi præsidio opus erit. Tibi autem, cui sine ullo artificio aperta et nuda omnia esse debent, unum hoc minime tacuerim, quod neque viarum labor, neque pestis anni huius universum orbem, sed cuncta præsertim litora proterens atque consumens, neque animi mei dolor, neque mala (nisi fallor) et iniqua patriæ tractatio me a suscepto itinere detorsisset, præsertim cum, maiore laboris parte confecta, iam Ianuam pervenissem. Hæc igitur verior et potior causa fuit, quod secundum spem quam mente conceperam, imo vero (ut eventus docuit) somniaveram, fieri non posse videbatur, quin aliquem tibi rerum nostrarum lætiorem exitum afferrem. Itaque dulce erat expectare donec in lo-

cum spei res ipsa succederet; et iam non cursum modo, sed volatum meditabar, videbarque mihi sine ullo laboris sensu Alpes Bononiæ transiturus (Apenninum vulgariter Alpem dixi). Inde enim improvisus, licet non inexpectatus, tuis et amicorum oculis adesse decreveram. Accedebat quod hinc potissime cœpti operis adminicula sperabantur; quibus mora omnis inimica erat. Quippe cum nec celeritas exacta suffecerit, quid dicam? Scio res solidas esse, spes inanes; scio quod qui spem perdit, nihil perdit; minus dixi: multum vero lucratur; et tamen expertus loquor; ut nulla minor iactura quam spei, sic nulla molestior. Causa est, quia sæpe pluris fiunt sperata, quam possessa; et sæpe quantum nos spes rerum blanda fefellerit, adipiscendo cognoscimus. Hinc est ut quotiens ante experimentum spes interiit, gravi nos incommodo affectos æstimemus. Prævertit ergo consilium meum Deus, et curas, quas pias arbitrabar, supervacuas declaravit; ut vel sic edoctus agnoscerem cogitationes hominum vanas esse. Et de hoc quidem hactenus. Super negocio litis nostræ nil aliud dico. Res in curia vertitur. Spero fore ut illius prædonis insidiæ detegantur. In omnes tamen casus paratus est animus. Victor gaudebo; victus, victa cum iustitia me solabor. Non nunc primum fortunæ ludis exerceor; didici quibus artibus caducæ spei vulnus eluditur. Eant igitur res utcumque; modo ego non movear: neque hercle quo moveri debeam intelligo: nempe æquo animo possum vel assequi quod meum est, vel dimittere quod nunquam assequi potui. Compendiaria ad divitias philosophorum via est, quæ monstrat non addendum divitiis,

[redacted]

sed cupiditatibus detrahendum. Hanc sequi disposui, ne in illud durum ac laboriosum negociorum inextricabilium iter incidam, a quo me Deus et ipsa naturæ meæ conditio manu, ut ita dixerim, retraxerunt. De lite igitur sit quidquid esse potest: mihi paupertas mea, non molesta, nec sordida, et plus etiam quam vellem invidiosa, sufficiet; cum qua si bene mihi convenit, ut videtur Senecæ, dives sum. Vale.

VII Idus Aprilis. Veronæ.

EPISTOLA XI.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI ANCHISÆO S. P. D.

Francisci consanguinei sui proximum adventum quam lætissime nunciat.

Credi non posset quantum mihi curarum decesserit, quantumve lætitiæ accesserit recenti quodam nuntio; quod tecum, quamvis multa loqui locus tempusque prohibeat, partiri quantalibet brevitate disposui. Franciscum nostrum adventare audio, et iam esse Massiliæ, multis quidem iactatum casibus et terrestribus maritimisque periculis, salvum tamen. Et ad me primum ille nunc recto, ut aiunt, calle festinat; et de viarum, ut certus sum, prolixitate conqueritur, sæpe Virgilianum illud in ore habens:

Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.

Nec immerito: putabat enim me in Gallia reperire; sed illam curiæ sentinam tolerare nequiveram. Proximus

illi saltus in patriam. Tui eum desiderio ardere certe scio: sed mihi crede (quod non scriberem, si propositum meum pervertere posses ulla providentia), crede, inquam, mihi; de consiliis hominum fortuna iudicat. Inter cogitatus atque actus magnus quidem, ut vulgo dicitur, mons est. Quando hic erit, quem iam iam adfuturum spero, iniiciam manus. Imperiosa res est amor: nihil non licere sibi æstimat. Videbor iure meo uti, si quasi reinventum thesaurum domi recondidero, curamque sumpsero ne tam facile rursum eo caream. Id tibi prænuntiatum velim, quo patientius feras cum acciderit. Neque enim, ut adventus sui famam tecum modo partitus sum, sic ipsum quoque partiar amicum. Multo rarior multoque pretiosior res est amicitia quam aurum, in qua si quid avidius egero, excuset utcumque possessæ rei pretium duritiem possessoris. Ego quidem te consortem non reiicio, ita tamen ut præsentem partiamur. Ut partem igitur tuam feras, imo vero, ut pro uno duos habeas, venire te amor agat. Vale.

IIII Idus Aprilis.

EPISTOLA XII.

FRANCISCUS PETRARCA JOHANNI ANCHISÆO S. P. D.

Deplorat mortem Francisci consanguinei sui.

Heu quid hoc est? Quid audio? O spes mortalium fallax! O curæ supervacuæ! O labilis status! Nihil homini tranquillum, nihil stabile, nihil tutum; hinc fortunæ vis, hinc mortis insidiæ, hinc fugacis mundi blan-

ditiæ; undique circumvallamur miseri, et inter tot laqueos spondere nobis iucundum aliquid audemus? Totiens frustrati, totiens ludibrio habiti, sperandi consuetudinem et millies elusam credulitatem nescimus exuere: tanta felicitatis, licet falsæ, dulcedo est. Heu demens! heu cæce, rerumque oblite tuarum, quotiens mecum dixi! Vide hic, nota, attende, subsiste, recogita, imprime signum fixum, mansurum indelebile. Memento fraudis huius et illius. Nihil unquam speraveris, nihil credideris fortunæ; mendax est, varia, levis, infida; priora eius blanda et mitia, posteriora acerbissima. Nosti iam hoc ferale prodigium expertus, a nemine iam docendus. Tuis igitur exemplis tibi consule, et ullum cum hac inire commercium caveto; æque promittentem ac negantem despice, æque rapientem largientemque contemne. Hoc decreveram, hoc mente firmaveram. At post tam virile propositum, ecce rursus quam muliebriter, quam inepte decidi: ridiculose dixerim, an vero flebiliter? Ridiculose aliis fortasse, mihi quidem prorsus miserabiliter ac miserrime. Post tot rerum speratarum inopinos casus induxi in animum sperare iterum, atque huic momentaneo, et velut hibernæ sereno noctis credere, et ex eventu crastino pendere: præceps, temerarius, inconsultus, interblandiri curis mordacibus ausus sum. Ecce iam dilectus meus aderit; Franciscus meus, non minus mihi iunctus voluntate quam nomine, non minus amore quam sanguine, ecce aderit, et forte iam adest. Tam vehementi enim meditatione in eum incubueram, ut sæpe velut ante oculos aspicerem tanto maris ac terrarum spatio distantem, et heu nunquam amplius in huius mihi pe-

regrinationis exilio revidendum! Sed ego, iure quodam meo (quod amantium omnium commune est), fictis congressibus atque colloquiis invisæ moras solabar absentiæ; meque ipsum, ut fit, quadam cum voluptate fallebam. Quotiens aliquis ex pueris meis, quibus ille se fecerat multa morum suavitate carissimum, ad me aliquid nuntiaturus intraverat, ita eram quasi ille iam afforet. Quotiens quisquam fores impulerat, fluctuabam, et pastorium illud in primis occurrebat animo:

> Nescio quid certe est: et Hylax in limine latrat.
> Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Hæc miser amans somnia fingebam: his angebar curis; his æstuabam solicitudinibus, pascebarque tenui quadam spe, non aliter quam opimis per quietem dapibus sopitus esuriens; et latratus canum, et servorum voces, et moti stridor cardinis, et pavimentum proterens ungula cornipedis, et omnis omnino strepitus excitabat. Quotiens vel libellos quibus inhiabam, vel cui inhærebam calamum, festinabundus abieci; quotiens surrexi, quotiens prosilui videndi avidus tenendique dilectum meum, et curarum mearum prædulcissimum participem, neque fratrem solum (ut Tullii, quibus hoc loco possum proprie, verbis utar), sed suavitate fratrem prope æqualem, obsequio filium, consilio parentem, quem nescio an nimis sero cognoverim, an verius nimis cito: nisi enim amare hominem cœpissem, nequaquam morte eius in has lacrimas incidissem. Biennio vix integro illius convictu et amicitia fretus sum: tempus heu vix alloquio, ne dicam amicitiæ, satis patens. Sed hoc uno solor orbitatem meam, quod ambo certatim

illius temporis brevitatem ardentissima hinc illinc charitate laxavimus; et quidquid in amicitia dulce vel sanctum est, quod in spatioso ævo alii solent, nos explicuimus in angusto; ut iam delectatio nostra diuturnior, amicitiæ vero fides certe neque sincerior, neque familiaritas arctior esse posset. Invidit gustatam mihi vitæ dulcedinem fortuna. Plurima et magna fidei suæ pignora sanus ægerque suscepi, quæ in animi mei penetralibus adamantina sede recondidi. Spero, itidem de me ille sentiret, eoque propensius, quo et humaniorem illum et amantiorem natura protulerat. Nunc autem illius temporis memoria, et amara mihi simul, et dulcis est; hinc mulcet, hinc cruciat, nec satis expedio, malimne fuisse illi homini notus an incognitus. Amicum enim talem, felix et dulce quidem habuisse, sed amisisse, miserrimum atque amarissimum. Nunquam fere alias me ipsum, ut nunc, excusseram; quod non sine pudore fateor: et affectuum in me plus, et virium minus quam opinabar, invenio. Putabam enim, et dignum erat, multa lectione longaque rerum experientia obduruisse adversus omnes ictus et iniurias fortunæ. Fallebar infelix. Nihil me mollius, nihil enervatius. Putabam, imo equidem certus eram, me Franciscum meum amare tenerrime; hoc enim illius erga me charitas et obsequia merebantur. Quantum tamen amaverim, heu sero, nec aliter quam perdendo, cognovi. Ideoque nunc intractabilius ulcerosa mens dolet, plus se cernens amisisse quam crederet. Qua in re nihil mihi magis obfuit quam impræmeditatio eius, quod evenire necesse erat: non cogitaveram moriturum. Et profecto si quis in hoc torrente rerum humanarum ordo esset, ante

me mori non debuit post me natus. Accessit fervens atque anxia eius expectatio, de qua multa iam dixi: sic enim ipse mihi supremo lacrimans digressu, sic deinde per litteras pollicitus: sic Socrates meus non futurum iam, sed præsentem eius nuntiaverat adventum, digressum ex Gallia recto ad me tramite in Italiam properare. Heu mihi! nunc recolo, velut adhuc felix atque integer, proximam abscissionem et instantes miserias præsagirem, meque confestim scirem optima mei ipsius parte cariturum, brevissimam felicitatem meam nitebar extendere, quid fata mecum agerent ignorans. Veniet, dicebam, prius me quam grandævum patrem, quam dulces fratres ac sorores visere. Iniiciam manus atque tenebo, nec magnis viribus opus erit; opitulatorem ex adverso inveniam; amor qui cum illo habitat partes mecum faciet. Iam ille crebro mihi dicere consueverat Horatianum illud: *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.* Sed ecce manus, quas ego sibi iniicere cogitabam, mors iniecit, et (quod ad te pridie brevi quadam epistola dixeram, de consiliis hominum iudicare fortunam) longe aliter atque ego senseram, interpretata est. Nunc, erepta spe, geminatoque desiderio, quid agam? Lacrimisne atque suspiriis alar, et in amissi locum mœrorem meum indesinenter amplectar? An vero serenare animum nitar, et circumstrepentibus fortunæ minis in arcem rationis evadere? Hoc præstat, illud placet; hinc virtus erigit, hinc affectus incurvant: et quo me vertam, quidve potissimum sequar, incertus sum, et male mihi est sæpissime cadenti, sæpissime resurgenti. Saona nocens atque impia, quæ me his anxietatibus involvisti! Quid

tibi pro meritis imprecer? Abstulisti animæ meæ dimidium, ac florentissima ætate crescentemque iuvenem virtute, dum adhuc ordiretur, inexorabiliter succidisti, et nunc illi pectori, in quo Franciscus meus hospitabatur, violenter incumbis. Ipse enim abiit, te licet invita. Nihil in illum iuris habes; corpus tantum illius et spem meam simul obruis, pro quo quid aliud optem tibi? Curvati in arcum colles extendantur, ut in faciem directi et importuosi litoris redacta, iniquam præbeas classibus stationem. Corruant mœnia et manufacta præsidia, quæ ventibus ac fluctibus obiecisti. Huc vis Syrtium et Euripi fervor; huc Scyllæa rabies, huc Charybdis impetus, et quæcumque vasti maris pericula transferantur. Laxet Æolus inquietos fratres, Austrum et reliquos, qui tuis finibus insultare sunt soliti, ut toto orbe tranquillo, te unam perpetuæ quatiant procellæ. Quidquid vel mortium vel morborum per omnes terras ac maria pestifer hic annus effudit, in te solam confluat, quæque aliis annuatim, tibi pestis æterna sit. Purgetur insula Sardiniæ et quidquid cœli crassioris usquam est; purgentur stagna et sulphurei lacus, limosæque penitus paludes: tepescat Arctos, refrigeretur Æthiopia, vacuetur serpentibus suis Africa, tigribus Hyrcania; quidquid monstrorum et immanium belluarum orbis habet in te ex omni terrarum parte conveniat. In te tristes nebulæ, in te latices funesti, et inclementes auræ, in te frigora æstusque desæviant. Denique cum summa humani generis salute tu sola depereas; tu locus mortis, tu formidinis ac terrorum regio, tu luctus ac miseriæ domus esto. Te peregrinus, te mercator, postremo te cives tui fugiant; te viator

pallidus e summis montium despiciat iugis; te nauta trepidus ex alto prospectet, et infamem scopulum declinans, opem velorum remis adiiciat..... Heu quo me dolor pepulit! Quid loquor? Aut ubi sum? Mortalia mortalis tam graviter fleo, et insontem terram, quæ suum ius recepit, execror incertus ubinam ipse moriturus, atque hunc pulverem terræ redditurus sim? Itaque iam lamentis et gemitibus abstinendum est, et pro fratre præmisso, dum supersumus, orandum. Id potius viros decet. Tibi vero, civitas pulcherrima, quæ depositum meum servas, ad me tandem reversus, gratiam habeo, quod in terra forsan barbarica iaciturum ipsa complecteris. Vitæ quidem brevitas fatalis fuerat; tuum est, quod amico meo, iuvenem licet, fesso tamen iam curarum, contigit italici saltem requies sepulcri: leve solamen; sed multis iam viris illustribus optatum. Te nimirum hactenus ut cupide viderem, ipse terrarum situs amœnitasque præstabant: deinceps carissimi mihi cineris servatricem amara quadam dulcedine multo libentius videbo. Si enim amantissimæ olim coniugi Pompeii sui mors et truncum impie cadaver arenas Niliacas commendabat usque adeo, ut inde nollet avelli; cur non ego dilecti mei perpetuam sedem litus italicum amabo? Salve, tellus egregia, fraternarum reliquiarum custos fidelissima; tu me largius flere, tu parcius sperare docuisti. Tu autem ante tempus erepte mihi frater, qui hæc me in lamenta præcipitas, æternum vale. Ego quidem ex te gaudium ac solamen, quod in his, quibus assidue morimur, terris expectabam, ubi neque gaudii neque solatii locus est, multo certius, præstante Deo, multoque cumulatius deinceps in

terra viventium expecto. Sed ecce nunc experior quod apud Statium legi: *dulce loqui miseris.* Profecto sic est: quam multa enim, non sentiens, impetu magis quam animi iudicio dolenter effudi! nec loquendo satior, sed accendor, nec desinere quidem scio. Abrumpam igitur. Vale.

EPISTOLA XIII.

FRANCISCUS PETRARCA IOHANNI COLUMNÆ CARDINALI S. P. D.

Consolatoria ob cædem Columnensium Romæ peractam.

Fatebor ingenue; etsi enim solvendo non sim, bonæ fidei debitor sum; fatebor, tibi me omnia debere, ingenium scilicet et corpusculum hoc, quod peregrinus inhabito, et si quid externorum obtigit bonorum. Neque enim minus aula tua animo meo contulit, quam corpori, quam fortunis. Sub te nutritus a iuventute mea, sub te auctus atque eruditus sum, quantum vel intercurrentium casuum malignitas, vel ingenii mediocritas passa est; ut ex merito tenear, et hunc calamum, et hanc dexteram, et hoc quantulumcumque est animi lumen ad animi tui solamen refrigeriumque convertere. Id me in aliis malis nostris pro viribus observasse memini, nec tu, reor, oblitus es. In hoc vero tam gravi, tamque intractabili et funesto vulnere, quod nobis nondum fletibus nostris satiata mors intulit, quid agerem, quid loquerer, vel omnino quid hiscerem non inveni. Corrui miser ad primam rei famam, et velut repentino fulminis fragore

dirigui. Deinde ubi primum sparsa rationis arma colligere, et prostratum ac iacentem animum attollere posse cœpi, litteras infelicissimi rumoris, quem prius ab egregio viro Paganino Mediolanensi, qui hanc urbem regit, dolenter narrante mœstus audieram, poposci, et ostensas non sine lacrimis legi. Enimvero illic ambagibus perplexa omnia et nihil penitus certum legebatur. Ab Urbeveteri fama surrexerat; mox perlata Florentiam, et per quorumdam religiosorum litteras Apenninum transgressa, Bononiam primo, inde ad nos sæpe (ut fit) crescendo ac variando pervenerat. In re igitur dubia, quia natura hoc habet, ut audita quæ displicent vix totis præcordiis admittantur, malui mihi interim feliciora promittere. Sic ægra mens ad melioris spei dulcedinem recurrebat; ea tamen evanida et velut somniantis miseri fugitiva felicitas erat. Quid multa? Quamvis assidue superventu novorum nuntiorum spes illa decresceret; nihil tamen prius plane compertum scivi, quam ad me Socratis nostri lacrimabiles litteræ pervenirent. Ita (mirum) tiberinas ærumnas ex alio orbe mihi Rhodanus nuntiavit. Illæ vero mihi litteræ ancipitis spei refugium præcluserunt; quo effectum est ut id modicum intellectus, unde nonnunquam animi medelam mihi atque aliis elicui, fletus et questuum pondus opprimeret. Non cessi tamen, nec cessavi. Quotiens assurgere nisus, scribere aliquid volui! Quotiens libellos evolvi, rubiginem ingenii tabescentis abstersi, et in intimas memoriæ meæ cellulas mœstus scrutator introii! Denique omnia feci: incassum tamen venerunt ad manus meas epistolæ quædam, quas, visitante nos sæpius fortuna, per hos annos

utroque stilo ad te miseram : in quibus nihil omnino meis, ne dicam tuis, angoribus non solum curandis, sed etiam leniendis satis efficax visum est ; et pudebat totiens vulgata repetere. Nova autem cudere exhausto in primis ingenio non valebam ; ordiri tamen et tentare non destiti, si forte supra spem orsa succederent. Possem tria vel quatuor litterarum ostentare primordia, diverso charactere modisque fere omnibus, quibus, pro varietate rerum, gravidæ mentis affectus conceptusque parturio. Sane quantum mihi illa placuerint conditor idem et castigator calamus transverso liturarum vulnere indicat. His ego difficultatibus implicitus silere firmaveram, et præsentem gemitum Christo consolatori optimo solandum finiendumque committere. Hæc pro excusatione silentii mei dixerim. Et nunc quod te post tantum tempus alloquor, non mutati propositi, sed insperati gaudii est, quod pectori meo, nuper obstinatius dolenti et, qui miseris mos est, mœrorem proprium amanti, ejusdem Socratis recentiores invexerunt litteræ : quibus animi tui inter tot fortunæ impetus inconcussam magnitudinem eminentiamque perdidici: et qui dolorem meum tacitus tuleram, superadveniens gaudium ferre non potui, quominus pias simul in lacrimas et in verba prorumperem; quod me frivolis nequidquam tentare sermunculis pudor et dolor et reverentia vetuerant, id ab illo cœlesti artifice factum videns, cui, cum pro aliis multis, tum pro hoc præcipue gratias agere dignum est, quod tibi tot rerum bellis exercito fortitudinem tribuit et constantiam exemplarem. Itaque, decus meum, et iam quasi sola spei meæ et multorum ancora, composito tandem

statu fatigati pectoris et sedatis imbribus lacrimarum, qui ubi vehementius ingruerint serenitatem mentis offuscant, et conspectum præripiunt veritatis, quid aliud suadeam quidve aliud rogem, nisi insistendum cœpto, et invicto animo fortunæ minacibus insultibus occurrendum? Respiciendum sobrie ad naturæ nostræ violentas ac superbas leges; quid sumus, ubi sumus, quamdiu vel hoc ipsum, vel hic, futuri sumus; unde funem solvimus, quem petimus portum, quos inter scopulos navigamus, quantum maris emensi sumus, quantulum est quod restat, quantum sub fine periculum; quam multi per tumidum æquor incolumes in faucibus portus et in litore perierunt; postremo quam grave iugum super filios Adam, non ut super colla boum alternis horis ac diebus, sed prorsus omnibus. Nulla est immunitas, nulla quies, a die exitus de ventre matris eorum, ut scriptum est, usque in diem sepulturæ ac reditus in matrem omnium. Hoc nos omnes non magis gravi, quam continuo iugo premimur mortales; quod non genus, non forma, non divitiæ, non ingenium, non facundia, non vires excutiunt; non arma, non satellites, non amici, non denique legiones et classes et exercitus; sed patientia, longanimitas, constantia. Cogitandum quid non liceat fortunæ: in eos dico qui caduca et fugacia ista complexi, sese illius imperio submiserunt: reliquos enim territat quidem, urget, et vellicat, sed non sternit. Revocanda sub oculis omnis ævi exempla; quas seu præpotentium populorum opes effuderit, seu superillustrium regum regna calcaverit, seu quid usquam ab origine mundi intactum furibunda reliquerit. Non vacat historias evolvere, quod in aliis

[redacted]

consolatoriis epistolis ad te feci, et quæcumque possem studio conquirere, nota sunt tibi. Non demisse neque muliebriter agam: non enim vel feminam alloquor, vel puerum vel unum aliquem e plebe multivola; sed virum fortem et natura semper excelsum; nunc, ut spero, fortiorem solito, et ipsis calamitatibus altiorem, virum crebris signatum fortunæ vulneribus, duratoque iam virtutis callo, minas illius et prælia contemnentem. Non itaque delinimenta blanditiarum asperitatibus tantis interseram, neque ingeram spem nepotum, quamvis et illa, Deo casus nostros miserante, non desit. Te ipsum tibi ostendam. Orabo: luctus tuos numerare, iacturas æstimare desine. In ea quæ restant lumina iam tersa converte. Circumspice familiæ tuæ statum. Columnensium domus solito pauciores habeat columnas, quid ad rem, modo fundamentum stabile solidumque permaneat? Unus erat Iulius Cæsar, fratrem non habuit nec filios, et patris nomen occultum est. Quid tamen unus egerit norunt omnes. Persuade tibi, quæso (quod verissimum est), quo plus sævit, eo minus metuendam esse fortunam. Quod potuit fecit: brevi tempore et fratres tibi et nepotes et propinquos abstulit, florentissimamque prosapiam redegit ad paucos. Securus generosæque plenus contumaciæ illam intuere. Præter magnanimum genitorem, prope iam nihil est in quod arietare possit. Et illi quidem ut humani nihil unquam intolerandum fuit, sic nihil deinceps intempestivum accidet. Mortalis ævi metas longe post tergum liquit. Quem vero senum mihi dabis, qui tot vitæ annos numeret, quot hic noster felicitatis et gloriæ numerat? Omnium profecto fortunatissimus, quos nostra ætas habuit, si aliquanto

[redacted]

citius abiisset. Cæterum solicitudo ac metus nonnisi expectantis animi esse solet. Qui iam suum recepit, in tuto est. Quantum vero solatium fortitudo tua sibi tribuet inter seniles angustias, quibus eum sub vitæ finem ferox implicuit fortuna, et unde illum explicare nonnisi vel propria vel superstitis filii virtus potest. Hæc, et his similia præsentis mali remedia tibi sunto; reliqua enim, quæ remedia videntur, stimuli sunt: non leniunt, sed acerbant. Mors nec lacrimis redimitur, nec lamentis vincitur; vitari non potest, sperni potest. Hæc insuperabilis et inevitabilis mali huius victoria sola est. Pluribus agerem, nisi scirem quod erectus et sui memor animus loquaci consolatore non eget. Deiectum vero et propriæ nobilitatis oblitum verba non erigunt. Perge modo qua cœpisti; et bona fide quod monstras exterius, intus age, ne forte sub tranquilla fronte turbida mens lateat, quod periculosissimum multis fuit, dum, dissimulatis ulceribus, in publico velut læti, in cubilibus suis mœsti, latenti mœrore tabuerunt. Parum sani capitis et in perniciem propriam laborantis est ista calliditas; ægritudinem profiteri, et palam flere securius est. Denique, quod sæpe dixisse memor sum, et dicendum sæpius existimo, alto loco situs es, unde aspectum et iudicia sermonesque hominum effugere non potes; quo accuratius tibi decoris ac famæ studium esse debet. Inter multas quidem iniurias, unum hoc de te bene meruit fortuna; magnam laudis obtulit materiam. Habent qui nobiscum vivunt, habebunt qui nascentur postea quod in te suspiciant, quod laudent, quod efferant, quod mirentur; infractum malis robur, et generosam vere Romani spiritus maiestatem. Vale.

[redacted]

EPISTOLA XIV.

FRANCISCUS PETRARCA BRUNO FLORENTINO S. P. D.

Amantum cæca esse iudicia.

Solum seu solis comitatum curis epistola tua me reperit laudum mearum onusta præconiis: et quamquam testis abforet, erubui tamen inter legendum, fateor. Quia vero non proprium aut alterius non amantis, sed illius amicissimi senis testimonium secuta in eam narrationem venerat, minus attulit negocii. Illud enim omnibus quæ vel dicta sunt, vel in eadem sententia dici possunt, respondisse suffecerit: solere amantum cæca esse iudicia. Hinc et apud Flaccum Balbinus Agnæ polypo delectatur; et apud vulgus amatoria fabella est eius qui monoculæ mulieris amore correptus, a parentibus tandem morbo consulentibus in alias oras missus, et post aliquot annos, amore deposito, in patriam reversus, forte illi quam vehementer amaverat obvius, ac repente tristi concitus spectaculo, quæsivit, quonam illa casu oculum amisisset. Minime, inquit, oculum amisi, sed tu oculos invenisti. Graviter quidem ac præclare. Sed ne plura. Si quis usquam est amans, senex noster est amantissimus suorum. In reliquis igitur deinceps, si quid mihi fidei est, sibi non ut Dodonæo Iovi, vel Delphico Apollini, sed ut viro unice veridico adhibe aures animumque. Quotiens ad me, quem paterne amat, eius mellifluus et suavis sermo descenderit, parcius crede, nisi forte (quod nescio an in sapientem cadat) errare nonnunquam et decipi dulce est.

Sane carmen egregium, quod insertum erat epistolæ, sine responso mansisset, tacita mei pectoris admiratione contentum; nisi obstitisset ingenii tui meritum, in tanta præsertim vulgaris ignorantiæ nube radiantis. Accipies igitur seorsum, et qualecumque est, boni consules, carmen breve, quod in lacrimosa materia occupato nunc animo vix extorsi, non tam ut id responsum esset, quam ne nihil. Vale.

——

EPISTOLA XV.

FRANCISCUS PETRARCA LUCHINO VICECOMITI S. P. D.

Laudat ob studium litterarum, quæ maxime Principes viros decere demonstrat, et illi nonnullas viridarii sui plantas cum carmine mittit.

Quales speraveram, imo quidem quales nec speraveram, litteras tuas legi. Gratulor inter excellentiam tuam et humilitatem meam hoc saltem intervenisse commercium, talemque mihi ad notitiam tui aditum aperuisse fortunam. In eo sane quod litterarum ipsarum ultima pars iubet, diligentiæ meæ cura non deerit, eoque promptius enitar, quo plus delectationis labor afferet. Dum hortulanus herbis et arboribus, ego verbis et carminibus incumbam, invitante rivi murmure, qui querulus fugit et dextra lævaque prominentem pomiferam silvam secat: cuius studii primitias iam nunc degustabis. Etsi fortasse animum altissimis intentum curis ista non tangant, ut temporum mos est; scio tamen illos tam magnos rerum dominos, Iulium et

Augustum Cæsares, sæpe a reipublicæ negociis bellorumque laboribus in nostri tranquillitate ocii quievisse: et rigentes gladiis dexteras ab hostibus feriendis ad syllabas numerandas, ac voces adversis agminibus intonare, interque tubarum clangorem et militarem strepitum exaudiri solitas, ad Pierii modulaminis dulcedinem transtulisse. Neronem transeo, ne præclarum studium gloriosaque nomina illius monstri commemoratione commaculem. Quam deditum Musis Hadrianum crêdimus? Cuius intentio tam vehemens fuit, ut ne vicina quidem morte lentesceret. Prorsus, mirum dictu, sub extremum vitæ spiritum, de animæ discessu versiculos edidit, quos insererem, nisi quia vel tibi vel tuorum alicui notos esse confido. Quid Marcum Antoninum loquar, qui cum non ambitione sed meritis ad imperium ascendisset, vetus philosophi cognomen tenuit, novum sprevit, aliquanto maius æstimans philosophum esse quam principem? Huius generis exemplorum copia ingens est; vix aliquis principum sine hac litterarum supellectili se principem, imo vero se hominem esse censebat. Sed mutata sunt tempora; reges terræ bellum litteris indixerunt. Aurum credo et gemmas atramentis inquinare metuunt; animum ignorantia cæcum ac sordidum habere non metuunt. Sed gravis et periculosa materia est, vivum potentem verbis offendere, nec ad offensionem longo sermone opus est. Quisquis male vivit nuda læditur veritate: mortui autem securius reprehenduntur. *Nulli gravis est percussus Achilles*, ut ait Satyricus. Itaque hostes litterarum reges nostri temporis non nominare, consilium est: *non est enim tutum in eum scribere qui po-*

test proscribere, ut ait Asinius Pollio egregius orator, in Cæsarem Augustum iocans; cuius ego nunc exe*mplo*, suppressis reorum nominibus, accusationem publicam peregero. Prope enim omnes idem error agit, et cum nullus eos, qua supra retuli, litterarum amicos principes sequi velit, certatim Licinium Cæsarem imitantur, qui rusticanæ vir originis ita litteras oderat, ut eas virus ac pestem publicam appellaret: vox non quidem imperatore digna, sed rustico. At non sic Marius, et ipse quoque rusticanus vir, sed, ut ait Cicero, vere vir; quem licet vel occupatio vel natura litterarum ad studia tardiorem faceret, litteratos tamen homines amabat, præcipue poetas, quorum speraret ingenio suarum rerum gestarum gloriam celebrari posse. Et nimirum quis est hominum, nisi sit idem prorsus agresti duritie, qui etsi non valde litteris delectetur, clarum saltem non cupiat nomen, quod profecto sicut sine virtute non quæritur, sic sine litteris non servatur? Fluxa est hominum memoria, picturæ labiles, caducæ statuæ; interque mortalium inventa nihil litteris stabilius. Quisquis illas non metuit, oportet ut diligat; omninoque verum est illud Claudiani:

> Gaudet enim virtus sibi testes iungere cantus;
> Carmen amat quisquis carmine digna facit.

Nostri vero qui nihil nisi satyrico carmine dignum gerunt, quas metuunt litteras oderunt. Itaque cum Licinio sentiunt omnes, nemo cum Mario, ne cum aliis dicam. Et (qua nulla turpior desidia unquam fuit) id quod pretiosissimum habebant subripi sibi per plebeios homines passi, eo sensim pervenere, ut iam inter divi-

tias suas gravissima premantur inopia. Ita qui pro exiguo censu, pro parvo regni angulo, in aciem descendissent, relictum sibi a proavis thesaurum inæstimabile proiecerunt, inque ipsam animi regiam permiserunt alienigenas ingredi, qui eos non purpureis, sed sidereis vestibus spoliatos inde depellerent. Unde illud regale dedecus videmus, plebem doctam regesque asinos, coronatos licet; sic enim eos vocat Romani imperatoris epistola quædam ad Francorum regem. Tu ergo hac ætate, vir maxime, et cui ad regnum nihil præter regium nomen desit, e duabus principum sententiis cui potissimum te applices, ignoro; sed meliora omnia de te spero. Itaque, ne in longum exeam, breve carmen, quod ex tempore nuper occurrit inter arbores illas de quibus tibi admodum familiariter partem poscis, excellentiæ tuæ misi. Quod si placuisse tibi sensero (in eo genere posse enim videor), quam putas, et quam occupatio mea spondet, liberalior apparebo. Vale.

III Idus Martii.

EPISTOLA XVI.

FRANCISCUS PETRARCA IACOBO FLORENTINO S. P. D.

Acceptas habet laudes quibus indignum se profitetur: et pro oratione Miloniana aliisque M. Tullii Ciceronis operibus quam maximas gratias agit.

Veris utinam, laudibus meis plenæ tuæ nuper ad me litteræ venere, et dulcedine mira permulsere animum; sic in eis affectum potius, quam effectum metiebar. Si enim ab alio mitterentur, illudi crederem;

nunc de purissima quidem animi tui parte prodeuntes, scio, non fallunt. Utinam non fallantur! Proinde vera tibi videri omnia quæ scribis, certus sum. Amori tuo gratulor, compatior errori: nec tamen hic te parcius errare voluerim. Adeo delectat, quod non sum, videri tibi: mallem esse quod videor. Quod si ab alto negatum est, tu tamen ne amicus tibi error excidat, caveto. Equidem ego, quamvis mihi temperare nequiverim quominus ad litteras tuas iterum atque iterum reverterer, sensi tamen lectionem ipsam non vacare periculo. Sic enim graviter, sic ornate, sic dulciter, sic denique ad persuadendum apposite in proposito versaris, ut valde metuendum sit ne legentem ad credendum quidlibet facile possis impellere. Quod si efficis, habebis opinionis tuæ comitem, nisi quod, cum tuus generosus et ingenuus error sit, me implicueris errore ridiculo. Itaque consilium fuerit, etsi cum labore fiat, ab illa deinceps litterarum tuarum parte oculos avertere: et si posthac rerum me tuarum iugem ac sedulum lectorem vis efficere, vide, quæso, ut satyrice potius quam lyrice mecum agas. Larga enim materia est. Si intendere cœperis, videbis in me multa, amicis licet oculis, gravia, et faventis etiam linguæ non evasura censuram. Hic, precor, incumbe; huc facundissimum tuum calamum verte; ostende me mihi; iniice linguæ manum; arripe, liga, feri, ure, seca: tumida comprime, supervacua rescinde, nec ruborem mihi fecisse timueris, nec pallorem. Tristis potio tristes pellit ægritudines. Æger sum, quis nescit? Acriore tibi sum curandus antidoto; non cedunt amara dulcibus, sed amara invicem sese trudunt. Si prodesse vis, scribe

[redacted]

quod doleam. Milonianam Ciceronis cum reliquis accepi. Gratias ago. Non mihi nunc primum tuæ mentis indulgentia nota est; rescribi faciam, et remittam. Comœdiam quam petis, me admodum tenera ætate dictasse non inficior sub Philologiæ nomine. Illa quidem procul abest, et si adesset, quanti eam modo faciam, quamve tuis ac doctorum hominum auribus dignam rear, ex communi hoc intelliges amico. Ut felix nostrique memor valeas, opto.

Patavii, VIII Kal. Aprilis.

EPISTOLA XVII.

FRANCISCUS PETRARCA GILBERTO GRAMMATICO PARMENSI S. P. D.

Commendat adolescentem suum, et plura de pueris recte instituendis commemorat.

Adolescentulum nostrum consilii inopem, et ætatis agitatum stimulis, paternæ solicitudinis ope complectere. Iam, ut vides, ad bivium Pythagoricum vivendo pervenit: nusquam prudentiæ minus, nusquam periculi magis est. Læva quidem ad inferos fert, ad cœlum dextera; sed illa facilis, prona, latissima, et multarum gentium trita concursibus; hæc ardua, angusta difficilis, et paucorum hominum signata vestigiis. Non ego hoc dico; dixit dominus omnium et magister: *spatiosa via, quæ ducit ad perditionem; et multi sunt qui intrant per eam: arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Puerum sane nostrum, si hic sibi dimiseris, quid acturum pu-

tas? Nempe vel cæci more vulgarem strepitum sequetur, vel *ferrato*,[1] ut aiunt, ibit itinere; et, quæ gravium corporum natura est, deorsum suis ponderibus feretur. Nunc tu, oro, vir optime, succurre, et incautum ac nutantem adiuva, rege, substenta. Discat, te magistro, dextrum sequi callem, discat ascendere. Quod promptius faciet, si peculiariter in eum oculos defixeris, et adolescentiæ suæ morbis singularis quædam tuæ providentiæ medicina subvenerit. Scis quam in partem pendeat, unde sit ruinæ proximus; illinc opportuno præsidio fulciatur. Vetus medicorum regula est: contraria contrariis curari. In lætitiam effuso triste quidlibet, mœstitia contracto lætum aliquid obiicito. Intentione nimia si obtusum erit ingenium, more solertis agricolæ alterna intermissione reparabitur; si rubiginem situ traxerit, exercitio enitescet. Atque ita fiet, ut labor quietem condiat, laborem quies: vicissimque nunc ocio nunc negocio recreetur animus. Innumerabiles prætera sunt morum differentiæ, et tam diversa remedia, non magis morborum corporis quam animi passionum, ut quod uni pestiferum est, alteri sit salubre. In hoc tota discretio præceptoris vertitur. Iuvenilis pavor familiaritate ac blanditiis mulcetur; insolentia minis et severitate comprimitur. Nec una scholasticæ censura militiæ est: levia verbis, gravia verberibus castiganda; hic laudibus erigendus, hic coercendus infamia; hic opere fatigandus, hic domandus est ferula. Generoso animo perseverantiæ studium, affecto solatium, desperanti subsidium, fervor algenti, præcipiti frenum, lento calcar addendum. Notissima scienti in-

[1] *Sic, anne feriato?*

[redacted]

gero, ut attritu memoria recalescat. Et de communibus magna pars artium constat, et aliquando iucundius assueta loca revisimus; et sæpe non tam novis, quam notis cantibus delectamur. Puero huic, ut ad rem redeam, vel invito manum iniice ne corruat, ne deviet ad sinistram. Doce quanto periculo processurus, quanto inde labore, quantoque dispendio regressurus sit. Ostende illi quanto tutius iam hinc rectum iter sequi, quam, spe reditus, quæ multos in abruptum egit, ultro divertere. Facilem casum esse paratumque omnibus: in assurgendo autem magnis viribus, magno nisu, magno auxilio opus esse. Monstra ei vana esse vulgi somnia, falsamque de omnibus, sed præsertim de voluptate sententiam. Nihil ad lævam viæ huius nisi fœdum, fuscum, fragile, caducum; nihil ad dexteram nisi pulchrum, lucidum, validum, immortale. Et quam proprie illam sequentibus conveniat quod scriptum est: *derelinquunt iter rectum*, *et ambulant per vias tenebrosas ;* atque illud : *viæ eorum et tenebræ et lubricum :* et illud; *via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruant.* Hanc vero alteram sectantibus illud potius convenire : *viæ illorum pulchræ ;* et illud: *via iustorum sine offendiculo.* De utraque autem simul dictum: *vias, quæ a dextris sunt, novit dominus; perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt.* Neque solum uni dictum populo : *ecce ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis.* Fac ista consideret; fac videat quam reprehensibilis post tot duces, quamque error ambiguus per inextricabiles vitæ brevis anfractus; unde sæpe redeuntibus seu redire meditantibus mors occurrit. Denique dum res integra, dumque ipse suus est, nec dum peccati iugum subiit,

doce quanto facilius iugum illud declinare, quam excutere, et poeticum illud teneris auribus frequenter inculca: *hac itur ad astra*; et illud:

> Hac iter Elysium nobis; at læva malorum
> Exercet pœnas et ad impia tartara mittit.

In quo poetæ nostro sapientum Hebræorum unus consonat. Sic enim ait: *via peccantium conculcata lapidibus, et in finem illorum inferi et tenebræ et pœnæ.* His hac ætate consuescat monitis, has hauriat disciplinas: facile quamvis formam recens excipit materia, facile quivis habitus nondum duratis mentibus imprimitur. Ubi falsis opinionibus aditum præbueris operosius excluduntur. Insta ergo, dum votivi spem successus tractabile tempus præfert; et sic habeto, plus te illi puero hoc beneficio collaturum, quam si omnes simul ingenuas artes in pectus suum sedulo ore transfuderis. Magna quædam res est, fateor, scientia litterarum: sed maior virtus animi, etsi utramque ex te discipulus docilis sperare queat. Nosti ingenium quid possit, nosti melius expertus. Ego id unum novi: paucorum esse ut litterati fiant, omnium ut boni, modo se bonis ducibus exhibeant obsequentes. Fastidiosior quidem est scientia quam virtus. Cum sit illa nobilior, paucorum dignatur ingenia; illa nullius animum contemnit, nisi a quo prius contempta est. Vale.

Patavii, VII Kal. Aprilis.

[redacted]

EPISTOLA XVIII.

FRANCISCUS PETRARCA LANCILLOTTO PLACENTINO S. P. D.

Multis se curis laborare: amoris autem ignes nec sermonum nec carminum ope restingui.

Hærebat calamo dextera scribendi avida, sed incerta quid scriberet: tam multis et tam variis uno prope tempore nuntiis pulsabar. Interpellabat hinc Tiberis, hinc Arnus, hinc Rhodanus. Ille mihi infelicis, et de me optime meritæ urbis statum, imo verius ruinam, quam sine lacrimis audire non possum, nuntiaverat. Ille quorumdam ingeniosorum adolescentium querelas ad me diverso quidem stilo, sed una eademque sententia transmiserat, indignantium graviterque tolerantium, quod illic expectatus huc diverterim, seu quod ita natali solo habitaculum istud antetulerim, quæ crebra multorum admiratio est. Ille autem curialium litteris amicorum silentio meo in tanto excellentis amici gemitu (quod in levioribus malis minime solebam, quodque non tam iudicio quam stupore cadentis illustrissimæ familiæ, ac mœrore suscepi) calcar blandæ, sed validæ reprehensionis incusserat. Quonam ergo primum verterer? Romanis amicis miseratio, Florentinis excusatio, Transalpinis consolatio debebatur. In hoc trivio hæsitanti quartus rumor accesserat. Quidam et nomine mihi iunctus et sanguine (quodque super omnia est) et amore et obsequiis animo meo probatissimus atque carissimus, dum ex Galliis ad me, visendi cupidus, accelerat, morbo seu laboribus viarum

seu cœli inclementia contracto, Saonæ subsistere coactus acerba mihi morte subtrahitur. Qua in re quibus longævi parentis ac miseræ matris orbitatem fratrumque solitudinem ac sororum lacrimas consolarer, qui meas proprias lenire non possem? Itaque turba rerum circumventus, feci quod in talibus soleo, quique mos peculiaris inertiæ meæ est: statui ex æquo universa negligere, vel, si possem, etiam oblivisci. Sic affecto tua incidens epistola torporem abstulit, et destitutum atque abiectum calamum restituit; tam dulcis gravitas et tam gravis dulcedo inerat. Sane quod inter cætera scriptum erat, Africæ meæ nomen suspirare vel invitum compulit; neque enim solus cœpti illius exitum expectas. Mihi vero promptius sit arenas maris et cœli astra numerare, quam cuncta fortunæ laboribus meis invidentis obstacula. Finem et ipse incertus opperior, prorsus ne frustra vigilaverim, ac mihi saltem studii mei voluptas aliqua, quamvis sera, servetur. Quod si rite successerit, ad hoc qualecumque spectaculum ingenii curabo ne quis te præveniat in orchestra. Ultimam litterarum tuarum particulam subridens legi. Iuvat enim morbi mei veteris tales nosse participes, et arbitrari cogor non ignobile accidens, quod in tali consederit subiecto. Solamen vero vulgaris eloquii, quod ex me iocose, nisi fallor, exigis, ego ex te, si forte animi vulnus fando lentesceret, et poscendum dicerem et sperandum.

Hiscene versiculis speras tibi posse dolores
Atque æstus curasque graves e pectore pelli?

Augentur potius aluntur que. Alia est igitur huius ægri-

[redacted]

tudinis medicina; cuius quidem (quod fateri veritas iubet) noster Æsculapius auctor est. Herbæ autem quibus illa conficitur, vel in hortulo tuo certe non sunt, vel incognitæ tibi sunt, vel inamœno gustu efficiunt ne tangantur. Vale; et, quod optimum adversus omnia vitæ nostræ mala remedium reor, quidquid se ad movendum loco animum obtulerit diligenter examina, et si principio delectaris, finem cogita.

FRANCISCI PETRARCÆ

DE REBUS FAMILIARIBUS

LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA I.

FRANCISCUS PETRARCA STEPHANO COLUMNÆ SENIORI S. P. D.

Consolatur de morte Iohannis Cardinalis qui unus supererat ex filiis eius.

Heu miserande senex! Heu vivacissimum caput! Quo piaculi genere cœlum offendisti? Quid fecisti, ut tam longæ vitæ supplicio punireris? Metellus alter dicebaris, nec immerito. Omnia convenerant: patria, genus, forma, divitiæ, aliæque corporis atque animi singulares et admirabiles dotes: uxor quoque clarissima, et uxoris generosa fœcunditas, et consularis dignitas, et in Romanis exercitibus imperii fastigium, et victoriarum ac triumphorum tituli: senectus longæva, et inconcussa usque sub ultimum fortuna. Si quid enim adversi intermiscere hactenus ausa est, qualia multa famosis persecutionibus pertulisti, fecit hoc ut asperitate insigni abstergeretur et enitesceret gloriæ tuæ decus. Hanc tibi fidem prope ad centesimum vitæ annum fortuna servaverat. Et tu similiter, in orbe terrarum et in orbis regina urbe princeps natus, poteras ubi de felicitate agitur, ea scilicet quæ sperari potest

in hac vita, rarissimis exemplis tuum nomen inserere. Non ut Sophydius inops et inglorius arator, mendaci felix dictus oraculo; sed ut gloriosissimus omnium nostræ ætatis romanorum ducum; et (quod prorsus difficillimum ac pæne impossibile dixerim) in altissima fortuna felicissimus, poteras, excluso Arcade peregrino, sedere fidentius, romanus cum romano, princeps cum principe, Stephanus cum Metello: nisi quod præter religionis eminentiam, cuius inter paganum christianumque hominem comparatio nulla est, cedere illum tibi, saltem fratrum ac liberorum numero, dignum erat. Fratrem ille nullum habuisse legitur: tibi quinque contigerant summi viri, et, ut breviter dicam, nec sanguine nec fortuna, quam virtutibus et gloria, clariores. Quatuor ille filios habuit, prætorios, consulares, censorios, triumphales: tibi septem fuerunt. Unus romanæ Ecclesiæ Cardinalis; alius vel Cardinali maior futurus, si ad legitimam pervenisset ætatem; tres Episcopi, duo bellorum duces, et bellica gloria parenti (ut omnia simul expediam) prope pares. Illi tres, tibi vero sex filiæ; de quarum moribus silentium breviloquio præferendum puto. Et quænam, Deus bone, quam florens, ex utroque sexu, nepotum ac pronepotum acies! Quam dulcis turba, quam iucunda societas! Quis ille, ne infinita sequar, ex primogenito filio primogenitus nepos, Iohannes, divinus quidem et plenus priscæ veræque romanæ indolis adolescens? Cui iure optimo Columnæ cognomen obtigisse diceres: neque enim De Columna, ut cæteri, sed ipse Columna dicebatur; in quam scilicet amicorum spes, in quam domus ingens et antiqua recumberet. Alter iam Marcellinus evase-

rat. Eadem ætas erat, eadem vis animi, par corporis vigor, idem et amor armorum et equorum studium et equitandi peritia. Alter quoque Marcellus in dies, vel si quid Marcello clarius, fiebat. Quæ cum ita essent, quaquaversum romanum resonat nomen, vulgo iam felicissimis, si dici potest, felicior, ac summis sublimior videbaris. Sed sapientes expectare finem iubent, quod ille fortunatissimus olim rex Lydiorum Solonis consilio monebatur. Re enim vera de mortali felicitate mors iudicat, et quod mirabilius, de æterna. Nemo ergo confidat; lubrica felicitas est. Vis te felicem fatear? Morere; veri testes vitæ sunt cinis ac sepulcrum: aliter enim quo altior es, eo graviori subiaces ruinæ. Unicum felicitatis exemplum eras nostri temporis, si qualis vitæ cursus, talis exitus fuisset. Nihil mali est quod non secum afferat longa ætas. Ut multorum dierum navigatio, sic multorum annorum vita est. Non unum cœlo sidus, non una tempestas pelago; sæpe flectendus clavus, sæpe contrahenda sunt carbasa: et sæpe (quo nihil periculosius habet ars nautica) pro ventorum varietate flectenda sunt. Nunquam expectes ut diu sit immota tranquillitas aut maris aut vitæ. Mutantur assidue rerum facies, et sæpe serenissimus mane dies nubilo fine concluditur.

Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare iubes? Mene huic confidere monstro?

Hoc apud Virgilium ille famosus nauta in mari dicit: hoc apud seipsum sapiens vir dicit in vita. Nihil metuit armatus et iugi meditatione præparatus animus: improvidum et sibi læta omnia promittentem quælibet

[redacted]

adversa deiiciunt. Sed ad fortunæ tuæ varietatem redeo. Quinque germanos fratres iampridem sepelieras. Quem non tantarum columnarum ruina prosterneret? Mansisti tamen inconcussus, et (quod proprium magni invictique animi fuit) in te unum universam domus sarcinam transtulisti. Et illud quidem damnum irreparabile immortali compensabas fama, rerumque prægrandium memoria solabaris : inque tot fratrum locum nepotum longus ordo successerat. Dilecta tibi interim et amantissima uxor eripitur

Felix morte sua, nec in hunc servata dolorem.

Multo quidem sua morte felicior quam uxor Evandria, de qua id dictum est. Illi enim ne unius, huic ne plurimorum filiorum acerbum interitum videret, tempestiva morte consultum est. Eripitur et natorum maximus, cui singulariter incumbebas: geminum grave vulnus tam multa perpesso. Mansisti tamen iam ruentibus fundamentis. Inde aliis usque ad invidiosam magnitudinem auctis et mira luce fulgentibus, fortunæ peperceras, et miscens amara cum dulcibus, desiderium defunctorum, superstitum solatio, leniebas. Iam sensim obliteratus primorum vulnerum dolor erat; felix adhuc, et, ut dixi, Metello felicior mori poteras. Longa vita præstitit ut fieres Priamo similior quam Metello. Metellum quippe sepelierunt sui; suos Priamus sepelivit: multum diversa conditio. Trux Fortuna! Paucane inconstantiæ tuæ argumenta præbueras, nisi veteribus etiam nunc exemplis Stephanus noster accederet? Quem brevissimo tempore, vario genere moriendi, filiorum ac nepotum multitudine spoliatum, de felicissimo patre,

[redacted]

miserandum orbitatis spectaculum posuisti. O magnanime vir! O memorabilis Stephane! Iam felicior apparebas, quam qui fieri posses infelix; iam comitatior eras, quam qui solitudinem formidares; iam morti proximior, quam cui esset mors filiorum adolescentium metuenda: extra teli iactum constitisse videbaris. Sed omnipotens illa et immitis Dea est, seu verius Dei ministra, et divinarum voluntatum executrix impigerrima; sed occulta miris et incomprehensibilibus modis agens; cuius ut clandestini semper et varii, sic sæpe mœsti et flebiles ludi sunt; et certe nullum hac ætate clarius suæ varietatis indicium erat. Ideo insidiatam esse, et ascensui glorioso favisse crediderim, quo se mundo notiorem faceret, et post tantum favoris, insignior clades, et ex tam alto terribilior casus esset. Neque enim aliter esse poteras tam infelix. Talium filiorum numerus efficit ut spectabilior orbitas tua sit. Heu dulcedo amarissima! Heu laboriosa quies! Heu funestæ blanditiæ! Quid metuendum, quid optandum, quid tenendum vitandumve homini est? Importunum nihil habuisse quod placeat: durum dulcia tot habuisse quæ perdas. Vixisti nimium, fateor; sed sic oportuit, ut doctior morereris. Putasses solidum aliquid esse Fortunam, si eius alteram tantummodo faciem aspexisses. O multis iactate casibus; quid nunc expectas ut dicam? Nolo speres; nolo desperes: alterum vani, alterum infirmi animi est. Quid enim, oro te, speres? Novos filios, nova coniugia? Intempestiva est ætas: tam senectus apta nuptiis, quam bruma messibus. Ridiculum ioci genus, sponsus senex. Contra autem quid desperes? De tot filiis nullum habes. Si

habes te ipsum, satis est. Nullæ divitiæ maiores, nulla clarior possessio, quam in potestate animum habere. Invenimus qui centum quindecim filios habuerit. Erotimus quidam rex Arabum, mirum dictu ! septingentos habuisse traditur. Se ipsum habere paucis contigit. Amisisti colloquia filiorum; tecum loquere. Cum aliis enim, omnium; secum loqui, paucorum est. Multa sunt quæ loquaris, multa quæ respondeas: multa enim in tam longa vita fecisti, quorum vel meminisse iucundissimum esse potest. Non possunt (ut apud Ciceronem ait Cato) omnes esse Scipiones aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesque pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Tu vero de illorum es acie, quibus rerum suarum recordatio gloriosa est. Recordare quæ gesseris domi militiæque, quæ terra pelagoque sis passus, quos labores, quæ pericula obieris, quæ tibi clarissima contigerunt. Fateberis, credo, te, etsi semper sine liberis fuisses, magnum virum, et non otiosa quidem felicitate, sed felicem tamen. Nunc vero nec sine liberis fuisti, et tales habuisti quales ut amisisse durum, sic habuisse suavissimum sit. Adde quod nihil incauto accidit; ea sapientia tua est, ut non modo quæ tibi evenerunt, sed et omnia quæ possunt evenire prævideris: possibile enim nihil est inopinabile sapienti. Stultorum impræmeditata sunt omnia. Non hoc dicere volo; maius quiddam in animo est, cuius tibi uno verbo memoriam renovare satis erat; sed ne quid eorum quæ ex te audierim effluere mihi putes, dicam expressius. Memento ergo (mihi enim imago illius temporis ante oculos est) dum ante annos decem Romæ tecum

agerem, et forte soli hora diei iam sera essemus, deambulantes in Via Lata, quæ a domibus tuis ad Capitolii arcem ducit; constitimus tandem illic, ubi transversa illam secat via, quæ a montibus ad Camilli arcum atque inde ad Tiberim descendit; dumque in illo quadrivio, nullo interpellante, multa colloqueremur de statu domus ac familiæ tuæ, quæ tunc (ut sæpe aliis externis clarior periculis) civili bello gravissimo agitabatur; incidit, ut fit, unius ex filiis tuis mentio, quocum, suggestu malevolorum, ut reor, eo tempore, plus quam paterna iracundia dissidebas. Sed tribuit mihi benignitas tua quod multis ante negaveras, ut, me auctore, ille tunc tecum rediret in gratiam. Cæterum cum de eo multa mecum familiariter questus esses, mutata fronte, tandem adiecisti hæc fere: non enim rerum modo, sed verborum mihi suppetit memoria. « Filius meus, ami- » cus tuus, de quo me cogis ut paterne sim affectus, » in senectutem meam quæ honestius continuisset evo- » muit. Sed quoniam negare tibi hoc non possum, præ- » teritorum omnium oblivio et, ut aiunt, abolitio sit. » Post hanc diem nullum mihi, vel in verbo, iræ vesti- » gium videbis. Unum non silebo, cuius te tempus in » omne testem facio. Mihi quidem obiicitur in primis, » quod contra ætatis meæ decus, pluribus me bellis » implicem, quam oportet; hanc filiis odiorum ac dis- » criminum hereditatem relicturus. Ego vero Deum » testor, nullam me aliam ob causam, nisi amore pa- » cis, bella suscipere. Quietis avidum me vel senectus » ultima, et in hoc iam ferreo pectore frigescens ani- » mus, vel longa humanorum casuum reddidit obser- » vatio. Verum ita fixum atque firmatum habeo, labo-

[redacted]

» ri terga non vertere. Mallem tranquilliora: sed si ita » sors tulerit, ad sepulcrum potius pugnando perve- » niam, quam discam servire senex. Ad id sane quod » de hereditate dicitur, hoc unum respondisse velim; » et hic fige in me oculos, animumque: Utinam he- » reditatem aliquam filiis dimitterem! Sed aliud voto » meo debitum, aliud fato visum (quod mœstus dico): » siquidem, confuso naturæ ordine, filiorum meorum » omnium heres ero. » Hæc dicens undantes lacrimis oculos avertisti. Id quonam seu animi præsagio, seu Dei monitu dixeris, incertum; quamvis vaticinari aliqua de natorum eventibus principes solere, testis est Divus Vespasianus, qui alterius natorum mortis genus, amborumque prænuntiavit imperium. Ego quidem die illo tamquam vel casu tibi elapsum, vel ab indignatione profectum, verbum contempsi, fateor, neque tantarum fore virium suspicatus sum. Post longum vero tempus, dum crebris filiorum mortibus quæri fidem vaticinio viderem, rem inter amicos retuli; inde in vulgus effusa est. Itaque sacræ memoriæ Iohannes, romani decus cardinis et familiæ tuæ princeps, tribus iam fratribus defunctis, evicit precibus extorsitque ut sibi rem totam ordine narrarem, quod cum invitus fecissem, ille suspirans ait: «Utinam genitor noster non tam » veridicus vates esset! » Eodem anno, ferali illo primogeniti tui ac nepotum casu, magis ac magis horrere præsagium tuum cœpit, donec ipse dolore confectus, ut arbitror, novissime moriendo, dictum patris tristi quidem sed plena fide complevit. Quæ res cunctis qui eam audivere mirabilis, mihi vero magis in dies horribilis ac stupenda est. Meministi omnium, non dubito.

Ego certe sic memini, ut adhuc sepulcrum illud marmoreum antiquum quod in angulo est, et cui uterque nostrum cubito insistebat, ad hæc, et omnem tui habitum spectare, vocesque illas tuas his auribus audire mihi videar. Quæ cum ita sint, non debet intolerabile damnum esse, quod tanto ante prævisum est. Armat enim meditatio animum. Quid pateris quod non te passurum scires? Nemo plorat, filium se genuisse mortalem, nisi sit idem amens et propriæ mortalitatis oblitus. Amamus nostri similes filios habere: nihil vero magis est nostrum, quam insita atque indicta nascentibus conditio moriendi, sola omnium inseparabilis inhærensque ossibus ac medullis. Quid ergo dolent homines in funeribus filiorum? Profecto non certum et publicum naturæ debitum, sed mortis insperatum ordinem. Hic tibi, quantum intelligi datur, nec improvisus nec ignoratus fuit. Prima lugendi causa sublata est, inopini dolor vulneris. Aut igitur affectus tuos divino subdis imperio, quod docti omnes et bene instituti faciunt, et quæcumque tibi acciderunt tam prævidisti æquanimiter quam tulisti; aut si forte (quoniam suum naturæ ius eripere difficile est) gemitum reluctanti paternus amor vi expressit, tantum tamen tempus effluxit ex quo lugere primum cœperis, ut iam verisimile sit, lacrimas aruisse. Lentescit enim tractu dolor, lentescit et gaudium; quodque unum habent bonum, humanarum passionum nulla perpetua est. Sed quoniam magnas res agentibus oratio longior invisa, finem faciam. Ut vero non inhumani patris fuerit, epistolæ principium, si id pietas coegerit, humentibus oculis legisse; sic siccis finem luminibus perlegere, viri fortis erit et in-

domiti. Itaque totum animum collige, obsecro, et ingenti nisu fortunæ ruentis incursum excipe. Quisquis primum impetum pertulerit, victor erit; plures enim terrore, quam vi superat. Sed quid ago? Quod suadeo, implesse te spero. Id dumtaxat obtestor ac deprecor, ne unquam forte (ut est animus sæpe curiosior eorum in quibus nullum iam, nisi memoriæ, ius habet) vetera memorando, in novas miserias relabaris, ac nimis indulgens patrio dolori, rescindas hærentium iam vulnerum cicatrices. Sine abiisse, quæ ut redeant, impetrari nequit. An crucient, an delectent, in tua potestate situm est. Vulgus te orbum senem miserum appellet, tu vulgus, ut solet, insanire et te felicem credito. De utroque fortunæ dolio gustasti; scis quid sapiant; lætum te dulcia fecerunt, amara cautum faciant, ut intelligas quorsum fidendum sit secundis. Videbas et olim, credo, sed hoc non negabis, nunquam te clarius vidisse. Nullæ sunt certiores scholæ, quam in quibus experientia magistra est. Quod a multis audieras, vidisti, et aurium disciplinam oculis approbasti. Vides eam, de qua omnis fere mortalium sermo est, nihil esse Fortunam; vides fabulam esse, quæ vulgo dicitur felicitas. Illam amisisti; invenisti aliam certiorem atque solidiorem. Et quam, inquies, inter tot dolores mihi felicitatem ostentas? Quam putas, nisi quam nemo tibi unquam, si nolis, eripiat? Monstro tibi felicitatem contrariam primæ; bonis tuis esse contentum; scire, quibus ornatus videbaris, tua non fuisse; discussis demum erroribus, veras opiniones assecutum, licet sero, ante omnia formidatum gentibus fortunæ imperium non timere. Quid dicam amplius? In hoc desino. Nudus intrasti, nudus egre-

[redacted]

dere; et illam humanarum, ut aiunt, rerum dominam celso animo contemne. Nocuit usque adeo, ut nocere iam non possit. Quid tum etiam cogitat, quid minatur? Exhausit pharetram, exarmata est: nec habet illa quod iaculetur, nec tu habes ubi de cætero feriaris. Vale.

Sexto Idus Septembris.

EPISTOLA II.

FRANCISCUS PETRARCA OLYMPIO SUO S. P. D.

Dolet se Parma abfuisse in adventu eius et amici, qui e Gallia eum visum venerant.

Nihil omni ex parte felix aut dulce, dum vivimus. Sentio quam improprie locutus sim: imo vero, dum non vivimus: cum enim vivere cœperimus, nihil nisi dulcissimum ac felicissimum erit. Ecce dum eo lætus ac redeo, exoptatissimum mihi tuum et illius amici optimi conspectum colloquiumque perdidi. Vix lacrimas continui, domum hodie reversus, ubi comperi, vos simul hic fuisse mei visendi desiderio, superatis Alpibus atque omni viarum asperitate calcata; meque non invento, magna velut destitutos spe, dolentes abiisse. Hæc enim et famulorum vocibus perdidici, et litteris vestris, quas inter libellos meos tamquam eximiæ dilectionis obsides reliquistis, et arrhabonem moræ brevis et pignora redeundi. Sed quoniam dura leniorem in partem flectere, sapientis est, cogitemus id cœlitus actum, ne me, ut optabatis, invento, congressu amici fervor ille tepesceret animorum, quo nunc, ut reor, per absentiam

irritato, pro paucorum forte dierum gaudio prærepto, multorum nobis annorum iucunditas compensetur. De hoc tamen illa viderit, cuius adamantina duritie sæpe humani consilii acies infirma retunditur. Certe ego sic mihi fingo, sic cogito, sic spero, et in hac spe multis obsessus laboribus conquiesco. De quo quid sentiam, quidve tibi suasurus sim, quod et magna res est, et nuntius hic festinat, in diem alium differre coactus sum. Vale.

III Nonas Maias.

EPISTOLA III.

FRANCISCUS PETRARCA OLYMPIO SUO S. P. D.

Se nihil minus quam reditum in Gallias cogitare.

Expectavi anxie; necdum aut patiens nuntius, aut otiosus dies adfuit. Itaque simul concepta carptim explico, non quidem ex animi mei sententia; novi enim orationis perpetuæ quanta vis. Ille orientalium fluviorum maximus, multis distinctus alveis, vides quam non modo permeabilis, sed etiam contemptibilis factus est. Sed pareamus tempori, sit libitum quod licet, quando quod est libitum non licet. Et quoniam nuntii huius haud sat explorata fides erat, unam dumtaxat epistolæ tuæ partem exequar, ubi reditum ad fontem Sorgiæ dissuades, ut illam tibi solicitudinem eripiam. Videris enim mihi de hac re non mediocriter curare, nec immerito; quod eo sæpius vocantem Socratem nostrum non audire non potui. Itaque victus tandem precibus

spoponderam, si tractata succederent, quibus et honestus illic manendi color, et vitæ necessaria quærerentur (vitæ, inquam, sodalium et multorum ad me illuc de more convenientium: mea enim vita, non modo necessariis instructa, sed vereor ne supervacuis impedita sit), quo sibi libuisset secuturum, non ignarus quidem rerum harum et illarum; sed magnum ibi hactenus ducem nostrum et vos omnes esse cogitans, quos mihi reliquos mors fecisset, amoris vestri velut uncis quibusdam validissimis retrahebar. Nunc mutata sunt omnia, et amicorum turba abiit, et dux noster obiit, et Socrates meus, qui solus ibi est, quamvis unus in me possit omnia, quamvis inveteratæ consuetudinis vi et ipse ibi esse, et omnes suos, meque ante alios, secum esse desideret; nunquam tamen audebit, omni spe abscissa, in eas nos terras accersere, ubi omnes prorsus alienigenæ atque hospites futuri simus. Neque enim ludus est hominibus, mortalia et caduca corpuscula trahentibus, dicere, quod animæ felices, corpore solutæ, apud Virgilium loquuntur:

> Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
> Riparumque toros et prata recentia rivis
> Incolimus.

Si enim ista sufficerent, posset utique Clausa Vallis, unde Sorgiæ fons erumpit, nobis omnibus abunde rivulos nitentes et frondosas domos et herbosa cubilia ministrare. Sed plus aliquid exigit natura. Philosophos quidem et poetas duros ac saxeos vulgus existimat; sed in hoc fallitur, ut in multis. Carnei enim sunt, humanitatem retinent, abiiciunt voluptates: est autem

certa vel philosophicæ vel poeticæ meta necessitatis, quam præterire suspectum sit. Non est per se sufficiens, ut ait Aristoteles, naturam speculari; sed oportet et corpus sanum esse, et cibum et reliquum famulatum existere;

> Neque enim cantare sub antro
> Pierio, thyrsumve potest contingere sæva
> Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
> Corpus eget,

ut Satyricus ait, magno ac perpetuo apud doctos philosophici poeticique dogmatis consensu rerum, sed verborum varietate multiplici. Igitur Clausa Vallis, ut cœptum sequar, ad aliquod breve tempus, urbanarum voluptatum tædio affectis, ut olim, diverticula non inamœna sufficeret; in longum certe nec promitteret necessaria, nec præstaret. Nobis sane, si sapimus, non in longum modo, sed in finem quoque prospiciendum est, ut vitemus illud Senecæ, quod humano generi facit improperium, ubi ait: *de partibus vitæ cogitare omnes, neminem de tota.* Vere sic est enim; et hoc est quod consilia nostra præcipitat, ut inter occupationes tam varias (miserandum simul et ridiculum) ignoremus, quonam fluctuantis vitæ gubernacula dirigamus. Scio, Clausæ Vallis optabilem æstivo præsertim tempore stationem; et si ulli unquam secessus ille gratus fuit, mihi fuisse gratissimum, decennis indicio est mora. Quod si apud te, imo vero apud alterum me, sine iactantia gloriari licet; pace montium ac fontium silvarumve, aliquid usque nunc loco illi, non dicam clarius, sed certe notius incolatu meo accedit. Opinari ausim, apud multos non minus illum meo nomine, quam suo

miro licet fonte cognosci; quod idcirco dixerim, ne quis dubitet, me illud rus nunc spernere, quod mihi meisque rebus aptissimum semper inveni, ubi sæpe curas urbanas rustica requie permutavi: quod non tantum electione ipsa, sed agrestibus muris, et (ut spero) solidiore cæmento, verbis atque carminibus, illustrare pro viribus studui. Illic, iuvat enim meminisse, Africam meam cœpi tanto impetu tantoque nisu animi, ut nunc limam per eadem referens vestigia, ipse meam audaciam, et magna operis fundamenta quodammodo perhorrescam. Illic et epistolarum utriusque stili partem non exiguam, et pæne totum Bucolicum carmen absolvi, quam brevi dierum spatio, si noris, stupeas. Nullus locus aut plus ocii præbuit aut stimulos acriores. Ex omnibus terris ac sæculis illustres viros in unum contrahendi, illa mihi solitudo dedit animum: solitariam vitam religiosumque otium, singula ibi singulis voluminibus perstringenda et laudanda suscepi. Denique iuvenilem æstum, qui me multos annos torruit, ut nosti, sperans illis umbraculis lenire, eo iam inde ab adolescentia sæpe confugere, velut in arcem munitissimam, solebam. Sed heu mihi incauto! ipsa nempe remedia in exitium vertebantur. Nam et his, quas mecum adduxeram, curis incendentibus, et in tanta solitudine nullo prorsus ad incendium accurrente, desperatius urebar; itaque per os meum flamma cordis erumpens, miserabili, sed, ut quidam dixerunt, dulci murmure valles cœlumque complebat. Hinc illa vulgaria iuvenilium laborum meorum cantica, quorum hodie pudet ac pœnitet, sed eodem morbo affectis, ut videmus, acceptissima. Quid multa? Si, quæcumque alibi, cum his quæ ibi scripsi,

conferantur, loca omnia locus ille, me iudice, hactenus superet. Est igitur, eritque dum vixero, sedes illa mihi gratissima, commemoratione iuvenilium curarum, quarum usque ad hanc ætatem in reliquiis elaboro. Verumtamen, nisi nosmet ipsos fallimus, alia quædam sunt viro tractanda, quam puero; et ego aliud illa ætate non videram. Obstabat tamen recto iudicio cæcus amor; obstabat ætatis imbecillitas paupertasque consilii; obstabat reverentia ducis nostri, sub quo esse pluris erat quam libertas; imo sine quo nec libertas, nec vitæ iucunditas plena erat. Nunc et illum et quidquid dulce supererat uno pæne naufragio amisimus; quodque sine suspirio dici nequit, virentissima olim laurus mea, vi repentinæ tempestatis, exaruit; quæ una mihi non Sorgiam modo, sed Duentiam Ticino fecerat cariorem: velumque, quo oculi mei tegebantur, ablatum est, ut videam quid inter Vallem Clausam Venusini, et apertas Italiæ valles collesque pulcherrimos et urbes amœnissimas ac florentissimas intersit, interque unicum Sorgiæ fluvium ac fontem, et tot lucidos fontes, tot vaga flumina, tot piscosos lacus, duo longe clarissima maria, Italiam curvis et speciosis anfractibus hinc inde vallantia; ut reliquas naturæ præstantissimas dotes sileam, atque in primis ingenia moresque hominum, de quibus non hic dicendi locus est. Et tamen vide quantum primæ impressiones animis hæreant, quantumve consuetudo longior possit in rebus omnibus. Ut enim, iuxta perfectæ legem amicitiæ, omnes tibi pectoris mei fluctus aperiam, sensum hac in parte rationi rebellantem sentio, et, fateor, vallem illam nunc vel maxime repudians suspiro; meque vel invitum nescio quis lo-

corum amor vellicat. Ibam vero nunc longius: sed expectantis murmure nuntii admoneor ut dicam: Vale.

XV Kal. Iunias.

EPISTOLA IV.

FRANCISCUS PETRARCA OLYMPIO SUO S. P. D.

Enixe hortatur ut, una cum amicis, contubernii et totius vitæ communionem inire velit.

Omnis amor impatiens moræ, festinationis appetens; nec ulla tanta celeritas est, quæ non tarditas sit amanti. Multa tibi hesterno die scripseram: sed quoniam et multa supèrerant, et exonerari animus ardebat, cum fortuitus nuntius non adesset, ad domesticos me converti. Et singulorum quidem obsequia trutinanti, ut intelligas quam ventri deditus sim, coquus primus occurrit, quo sine incommodo, imo vero non sine commodo, carerem. Coquus, inquam, quod non te latet, apud maiores olim nostros vilissimum mancipium, victa demum Asia, in pretio haberi cœptum. Nunquam utinam armis Asiam vicissemus, ne unquam suis illa deliciis nos vicisset. Sed ad nostra festino. Coquus ergo nunc mihi pro viatore fuerit, villicus pro coquo. Scis, me rustico apparatu et cibis agrestibus delectari, et in tenui victu solum cum Epicuro sentire, cui in hortulis et oleribus illius a se laudatæ voluptatis summa reponitur. Sæpe quidem rusticitati meæ gratulor, quæ mihi perpetuum fecit, quod his delicatis ac lautis vicissitudo facit alternum. Quis est enim tam fastidiose arrogans,

[redacted]

cui non semel in anno dulce sit vel in herbosis aggeribus sub divo, vel in amici pastoris tugurio discumbere, quamvis auratæ trabes non impendeant, quamvis mensas argentum grave non oneret, murosque marmoreos purpurea aulæa non vestiant? Cuius tam ambitiosa sitis est, ut, præter patulam gemmam seu leones aureo nemore decertantes, Polycleti opus, poculum omne fastidiat? Aut cuius tam superba fames, quæ non interdum rustico convivio sedari queat, quamvis peregrinæ Colchorum volucres non adsint, nec ignotis litoribus iactatus rhombus, interque duos pontes captus tiberinus lupus, cui veterum opinio palmam inter pisces tribuit? Hæc ergo quibus hi nauseatores nonnunquam raritatis lenocinio tentantur, mihi naturæ beneficio semper accepta sunt. Et si quando forsitan alternare libuerit, nec mihi iugis vivendi tenor placeat, lautiora non respuam, sed quæ rarissime et magno redeant intervallo. Neve me frustra loqui putes, cum longe aliud sim dicturus; ista sic accipies, ne fortassis incommodo meo consulens, coquum meum mihi ante remiseris, quam plene consilium cœperitis de summa rerum nostrarum, quæ nunc agitur. In quam, quæso, aperite aures et non repugnantes animos adhibete. Quod enim uni dico, omnibus dico, et cupio, has litteras, si fieri possit, per ora amicorum omnium circumferri, et si quis ibit istinc ad occidentem nuntius, Socrati nostro nominatim dirigi, ut omnes agnoscant vel sensus meos vel ineptias. Multa quidem altius dici possunt; at non multa, nisi fallor, utilius. De hoc tamen vos videritis. Ego institutum sequar. Equidem aut omnino nihil calleo, aut, nisi iam viri sumus, nunquam erimus: nemo

nobis blandiatur, nemo nos iuventutis appellatione decipiat. — Non sumus decrepiti. — Esto: nec senes simus; at profecto nec pueri. Tempus est puerilia relinquendi. Tempus est, inquam? Esset utinam, nec transiisset. Sed, mihi crede, transivit, et magna iam ex parte post tergum est. Sed et aliquid reliqui esse non inficior. Id ne pari segnitie dilabatur celeriter occurrendum est. Alioquin eveniet nobis, quod vulgo fere omnibus, ut adolescentiam respectantes, et in illam oculis ac mente conversi, senectutis in foveam incidamus; atque ita demum iacentes illusique, de naturæ fragilitate, deque ævi brevitate lamentemur, et seræ querimoniæ Theophrastum proferamus auctorem, Cicerone ac Sallustio et Seneca resistentibus, magnifice superandum. Quin arripimus hoc quantulumcumque quod restat, inque usus nostros vertimus? ita ut, secundum ipsius Senecæ sententiam, quæ Ciceronis ante fuerat, quod facere solent qui serius exeunt, et volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus, cuius ope veras opiniones et fugientem hactenus beatam vitam, vel sub ipsum viæ terminum, consequamur? Nunquam enim sero fit quod salutariter fit. Nam etsi reprehensionem dilatio mereatur, emendatio tamen laude digna est. Certe, quod bonum est, intempestivum esse non potest. Alioquin bonum utique non est si tempestivum esse desiit; qualem esse credimus pœnitentiam defunctorum ad nihil iam nisi ad miseriæ cumulum valituram; cum contra non inefficax pœnitentia senum sit. Non vero nos pudeat, quod multo ante decuit fecisse, vel nunc aggredi: pudeat potius, ne nunc quidem. Variante capillo, turpe est variantia non firmare consilia.

Aggrediamur itaque iam tandem, et cogitemus acriter, quo in statu res nostræ sunt; nec nostræ solum res, sed quorumcumque mortalium. Quid enim, quæso, vita hominis, nisi flatus exiguus et tenuis fumi vapor? Sentit in se quisque quam putre, quam debile, quam caducum corpus inhabitet. Sed errore iam publico dissimulamus, et imbecillitatis nostræ conscii, diuturnitatem æternitati proximam cupida mente concipimus. Sic est. Nemo est qui se moriturum credat: imò vero, nemo est qui non se mortalem sciat; sed diem mortis, qui forsan hodiernus est, in longum pro se quisque reiicit. Ita cuius maxime præsentiam timemus, eius absentiæ maxime fidimus, cum nihil tam ambigue absit, nihil tam subito præsens fiat. Fallit miseros Aristotelicum illud: ait enim: *Quæ longe sunt valde, non timentur. Sciunt enim omnes quod morientur; sed, quia non prope, nihil curant.* Hæc ille vir tantus in rhetoricis. Ego autem et nihil curare mortem homines fateor, et esse, quam idem dicit, incuriæ causam non nego. Sed eam ipsam falsam esse concedo. Nam quid falsius, quam longe valde mortem credere, quæ ne unquam longe sit, vitæ brevitas facit: ut semper impendeat, supraque caput sit facit humanorum casuum mira vis, ineluctabilis eventus, infinita varietas? Nihil ergo homines mortem curant: non quia est, sed quia creditur, longinqua. Si enim scirent quam prope est (quod necessario scirent, nisi ultro oculos averterent), puto vel timere mortem inciperent, vel ita se virtutibus armarent, ut eam, ceu melioris vitæ principium, merito non timerent. Nunc vero quem invenies qui non, virtute abiecta, longæ vitæ spem arripiat? Quæ ut non fallat, et ut sit vita

[redacted]

longissima, brevis erit, et in finem vitæ spes vivendi, quamvis rata, quamvis nihil mentita, fefellerit. Quem, inquam, mihi reperies qui non coætaneis suis se supervicturum speret? Ita cogitatus nostros actusque disponimus, quasi nullus noster, omnium nos heredes futuri simus: cum interim nostra suos expectatores habeat hereditas, et haud dubie falli alterutros sit necesse. Eripiamus nos huic ludibrio, et si ratio non movet, moveant nos exempla; quæ undique, vel nolentibus, oculis se offerunt, et, vel exclusa, se ingerunt, vel admissa, præcordiis insident; nec facile, nisi contemptu impio et oblivione mortifera, differuntur. Delectat scire quid simus et quo imus, quis cunctantes tergiversantesque manet exitus? Intueamur alios; non lynceis oculis est opus; aut illius acie qui, a Lilybæi specula, digredientem portu Carthaginis classem Punicam numerabat. Iuxta respicere iubeo vicina ostia, contiguas domos, urbes ipsas quas incolimus; nimis vagi, ad proprios lares ac limina redeamus. Videbimus quam repente, velut somnium ac umbra, præteriit, atque ab oculis nostris evanuit quidquid in terris carius habebamus. Amici qui pro nostra vita ituri ad mortem, si res posceret, videbantur, mœstam nobis et nimis solitariam morte sua vitam effecerunt. Non illi nos hic perpetuos reliquere, sed eodem properantes prævenere, et sorte sua in tempore usi sunt. Utemur nostra nos; nam, ut ait Flaccus:

Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura.

Exivit ocius sors illorum, exibit nostra serius, sed con-

[redacted]

festim. Nulla mora est. Quantulum enim refert, senex an iuvenis moriare? Si ad finem vitæ respicis, quæ ultima et communis omnium est senectus, verum est illud, *nemo non senex moritur:* si ad vitæ spatium, nemo non iuvenis; si ad opiniones, nemo non puer. Verum ista prætereo; tam multa enim occurrunt, ut vix propositum sequi possim. Piget, et impedior gemitu, stringere numeris quos affectus intimos, quæ dulcia pignora, mœstus ac pestilens, et ex omni sæculorum serie eradendus, nobis annus hic abstulit. Pauci, fateor, ex omni grege hominum, pauci admodum superestis, cum quibus et vivere eligam et mori; non quod ego plures alios ab hac acie secludam, nisi quos a nobis vel coniugium vel occupatio vel ætas vel difficultates aliæ disiungunt, amarique iubent e longinquo. Neque vero nunc de superioribus agitur, quorum benevolentia fortasse aliqua, conversatio nulla est: obstat enim mutuo convictui disparitas fortunarum et amicitiarum virus, insolentia, dum vilescere metuentes, adorari expetunt, non amari. Nos vero quid impedit, quominus has vitæ reliquias, quantulæcumque sunt, simul in pace animi bonarumque artium studiis transigamus, et si in freto viximus, ut ait Seneca, moriamur in portu? An quod uni quondam domino obsequentes fecimus, id nobis viventes non audebimus? Plusque in nobis potuit servitutis studium, quam libertatis amor potuerit? Etsi enim nobis ea servitus libertate qualibet gratior foret, quod illius viri optimi, et in eo statu minime insolentis, affectio merebatur, tamen esse sub altero, parere alteri, alieno vivere, videri possunt servitutis honestioris, veræ autem libertatis utique non sunt. En, invisa licet, contigit li-

bertas, aliquantoque citius quam optavimus nostri sumus. Et animos quidem nosse omnium videor. An fallor? Impedimenta rerum fors omnia non novi, etsi mihi nihil in vobis occultum rear. Non sumus principes maris et terræ, ut Aristoteles ait; nec oportet ad beatam vitam. Habemus autem quod sufficere possit animis modestis, seque componentibus ad naturam. Quod si singulis sat est, quid omnibus eventurum suspicemur, ubi vicissim alter alteri manum dabit, et quidquid necessitatis inciderit alterna ope supplebitur? Abundabimus, mihi crede; magisque forsan invidia nobis quam inopia metuenda est. Quid igitur expectamus? Quid mari et montibus fluminibusque distrahimur? Cur non tandem domus una coniungit quos olim iunxit unitas voluntatum? Nisi quia nova quælibet et insueta refugimus, multaque pollicitam spem dimittere, vocantemque nos altius fortunam non audire, stultum credimus; cum multo sit stultius, contemptis rebus certis ac solidis, in umbris inanibus spem habere. Ego quidem non conscientiæ meæ solum, sed præsentis epistolæ testimonio, in vos culpam omnem retorqueo, quicumque fueritis ad salubre consilium tardiores. Quin huc, solutis seu præsectis occupationum laqueis, festinate? Neque mihi detur arrogantiæ, quod trahere videar non sequi; ad utrumlibet ex æquo paratus est animus. Si quis usquam vitæ nostræ locus est aptior, raptim adero; non sum enim qui fidele consilium spernere soleam. Nulli credo mortalium maior est vel fides vel auctoritas amicorum. Sin hic vestro iudicio prælatus est (quod vestræ fatentur litteræ), quid vos nunc etiam tenet? Nolite cupiditati aurem dare; nunquam dictura

[redacted]

est: sufficit; semper nescio quid deerit. Hoc habet avaritia proprium ac pessimum: insatiabilis est, et dum promittit absentia, præsentibus uti vetat. Hæc habendi sitis nunquam plura quærendo, sed pauciora concupiscendo sedabitur. Crede, non mihi, sed philosophis, quorum hæc ad veras divitias via est. Quod ad me attinet, cupiditatibus metam fixi, et oraculi loco poeticum illud accipiens, *semper avarus eget*, ne ipse quoque semper egeam, quod sequitur feci: *certum voto finem petii*, eumque iampridem, licet reflantibus fortunæ ventis, attigi. Nec verebor ne mihi segnitiem meus heres obiiciat. Mihi vivo, non sibi, et rerum mearum cum amicis dominus, non negotiorum eius, qui nondum certe mihi noscitur, sum gestor. Pro me autem quid mihi tantopere laborandum? Expedit expeditum esse impedito itinere gradientem. Quid nunc etiam inutiles et funestas sarcinulas cogitamus? Eleganter ait Flaccus:

> Spatio brevi
> Spem longam reseces.

Id ne autem de brevi aliqua vitæ particula dictum putes et non de tota vita, alio loco ait idem:

> Vitæ summa brevis
> Spem nos vetat inchoare longam.

Ita est; non fallitur; nihil est verius. Etsi enim vitæ huius angustias, quo possumus modo, ætatum scilicet operosa distinctione laxemus, et in quantaslibet minutias dividamus, reduc tamen in unam cuncta congeriem, et curiosius scissa redintegrans, a primo ad ultimum, quam-

vis longissimæ, vitæ diem totum simul mente complectere; fateberis, summam huius rapidissimi temporis esse brevissimam. Huius ipsius, si retro circumque respicimus, bona pars nobis exacta est. Colligamus nos igitur ad extrema viarum, quodque non ambigitur, duriora; abiectisque supervacuis, necessaria teneamus. Quid procrastinamus? Quid differimus? Dies diem, mensis mensem sequitur,

Atque in se sua per vestigia volvitur annus,

ut præclare ait Maro; desinendoque reincipit et nunquam sic desinit ut quiescat. Quis igitur expectandi modus? Aut quis finis? Canos iam, comites senectutis et nuntios mortis, aspeximus. Quid amplius præstolamur? An, ut oculi senio caligent, tremant poplites, terga curventur? Primum, quis mathematicus tam longæ nobis sponsor est vitæ? Esto, sit Petosiris, sit Necepsus, sit Nigidius ex nostris, sit veritas demum ipsa: quanta tamen amentia est, quod iustis in spatiis et ex commodo fieri potest, inter angustias differre? Præsertim quia ut vini et olei, sic temporis et vitæ, fæx in fundo iacet. Ad illam te, cum superiora neglexeris, reservare, ridiculum. Votum solet esse viatoribus, ante noctem hospitari. Accingamur, obsecro, et post multos itinerum labores, illi nos æterno tandem hospitio præparemus. In hoc vobis, luce mihi cariores fratres, si quid in me opis aut consilii est, si quid oblectationis aut gratiæ ex me sperari potest, si quid subsidii ex his rebus, quas improprie meas dicunt, cum fortunæ sint, denique me ipsum, quod sine arrogantia possum, libellos atque hortulos meos offero, et si quid est aliud.

Sunt autem non pauca quorum indiget inops hæc et mortalis vita, quæ nominatim stilo inseri, decor vetat. Ad extremum, ut in vota precesque desinam, inspiret utinam nobis consolator Spiritus in hoc saltem conspirare, ut dum spiramus adhuc, ad requiem aspiremus : et qui tota die suspiravimus, respiremus ad vesperam. Vale.

EPISTOLA V.

FRANCISCUS PETRARCA OLYMPIO SUO S. P. D.

Prosequitur superioris epistolæ argumentum.

